This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



60004232K

33.

522.

DE

...IAE FACINORE EX RELIGIONIS ...ISTIANAE PRAECEPTIS ET INDOLE JUDICANDO.

[illegible]

Cl. SIEGENBEEK

[illegible]

TYPIS A. ZWEESAARDT.

DE

ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑΣ FACINORE EX RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAECEPTIS ET INDOLE JUDICANDO.

ACCEDIT BREVIS QUAESTIONIS HISTORIA.

AUCTORE

F. J. DOMELA NIEUWENHUIS,

Theol. Doctore, in Ecclesia Euang.-Luth. S. M. Candidato.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG.
MDCCCXXXIII.

522.

DE

ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑΣ FACINORE EX RELIGIONIS CHRISTIANAE PRAECEPTIS ET INDOLE JUDICANDO.

Habes a filio, quod jure desiderasti, PATER CARISSIME! *munus perexiguum, sed Tibi, ut scio, gratissimum. Etiamsi non in more esset positum, ut ii, qui studiorum suorum fructum produnt, pro beneficiis in se collatis palam gratias agant: equidem tamen silere de tantis tuis beneficiis nullo modo possem. Nam Te patrem non solum mihi video, sed praeceptorem omnium carissimum, studiorumque moderatorem: per Te mihi contigit, stadio Scholastico in Gymnasio Leydensi feliciter decurso, scholis interesse VV. Cl.* SIEGENBEEK, BAKE, PEERLKAMP, DE GELDER *et* UYLENBROEK, *quibus*

multa me debere gratus agnosco. Verum ipse me duxisti ad perennem verae Philosophiae fontem; excitasti in me amorem sapientiae ab omni aevo ad nos propagatae, ipsamque philosophiam mihi ita commendasti, ut agnoscerem, quid Ratio humana valeret, quid non valeret, quo magis firmam sapientiam, veram virtutem animique tranquillitatem Religioni a Christo sanctissimo Servatore revelatae unicè deberi serio profiterer. Sed insuper sine, ut hac opportunitate dilectus filius, quem unum Deus Tibi reliquit ex priori matrimonio, palam agnoscat, et suo et fratrum nomine, qui cum matre jam aeternis beatorum fruuntur voluptatibus, secundis tuis nuptiis salutis suae magnam partem se debere. Non enim noverca nobis evenit, sed mater carissima, cujus caritatis recordatio pie colenda ad supremam usque vitae horam grato filii animo insculpta haerebit. Deum O. M. supplex precor, ut et illam diu servet et Te, optimum patrem, quo melior liberisque benignior nullus umquam fuit.

Qui me ad Christum duxerunt effecerunque, ut summa mihi videretur muneris sacri gravitas ac praestantia, hisce inscribendam esse putavi

qualemcunque hanc dissertationem tamquam obquii pietatisque pignus. Vos igitur VV. Cl., qui ornatis Academiam Lugduno-Batavam, V. D. PALM, SURINGAR, V. HENGEL, KIST! *et Luther. Semin. Professores* EBERSBACH *et* SARTORIUS! *rogatos velim, ut benigne accipiatis hoc specimen, quod, si non alio nomine vobis commendatum, saltem ad vos missum, grati animi refert testimonium. Sed Vos praesertim compellandi mihi estis, ad rogum usque colende, Cl.* CLARISSE! *et summe venerande, Cl.* PLÜSCHKE, *Promotor aestumatissime! Vobis enim suadentibus, vestrisque monitis instructus hanc scriptionem composui, ut taceam quae in eâ typis describendâ mihi praestitistis auxilia. Sinite VV. Cl. ut nunc debitas Vobis laudes palam referat gratus discipulus.*

Ad Te denique accedo, Cl. DES AMORIE VAN DER HOEVEN! *Triennium abhinc primum Te adii: ex ea die ad hanc diem in animo meo imago tua infixa est: ne, quaeso, exspectes, ut publice tua in me merita laudem. Si qua in posterum, quamvis exigua utilitas ex me redundabit in Ecclesiam Christianam, ejus haud parvam partem tua sibi vindicabit institutio et familiaritas: verum amantis*

CORRIGENDA.

P.	27.	vs.	19 Deut. IV	*lege:*	Deut. V.
»	63.	»	21 extortae animae	»	extortas animas.
»	107.	»	13 propulariter	»	populariter.

PROÖEMIUM.

Ethica Christiana s. morum doctrina Euangelica, quamvis culta sit et celebrata, tamen in multorum reprehensiones jamdudum incurrit; idque cum aliis nominibus, tum praesertim eâ causâ, quod in Jesu Christi et Apostolorum institutione nonnulla morum praecepta aut plane deëesse, aut non satis diserte, perspicue, nervose pronuntiari vel injungi videantur. Nihil enim (ita fere illi) aut pauca tantum, eaque justo pauciora in Scriptis Euangelicis proponuntur de ratione, qua sint Christianis hominibus gerenda bella; de juribus summorum imperantium circa sacra; de eligendo vitae genere; de jungendis conservandisque amicitiis et quae sunt similia. Inprimis hoc aegre tulerunt haud pauci, qui magnâ voce clamare solent, quod de eâ morte voluntariâ, quam αὐτοχειρίαν, recepto vocabulo, appellamus, in Christianorum Bibliothecâ Sacrâ disertum ac perspicuum praeceptum plane desideretur. Hinc adversarii nostrae religionis: quid

[illegible]

[illegible]

PROÖEMIUM.

Ethica Christiana s. morum doctrina Euangelica, quamvis culta sit et celebrata, tamen in multorum reprehensiones jamdudum incurrit; idque cum aliis nominibus, tum praesertim eâ causâ, quod in Jesu Christi et Apostolorum institutione nonnulla morum praecepta aut plane deësse, aut non satis diserte, perspicue, nervose pronuntiari vel injungi videantur. Nihil enim (ita fere illi) aut pauca tantum, eaque justo pauciora in Scriptis Euangelicis proponuntur de ratione, qua sint Christianis hominibus gerenda bella; de juribus summorum imperantium circa sacra; de eligendo vitae genere; de jungendis conservandisque amicitiis et quae sunt similia. Inprimis hoc aegre tulerunt haud pauci, qui magnâ voce clamare solent, quod de eâ morte voluntariâ, quam αὐτοχειρίαν, recepto vocabulo, appellamus, in Christianorum Bibliothecâ Sacrâ disertum ac perspicuum praeceptum plane desideretur. Hinc adversarii nostrae religionis: quid

laudas, inquiunt, doctrinam Christi moralem? perfectae speciem prae se ferat, ipsa perfecta non est: pro arbitratu suo de vita migrare Christiano homini licet; Codex saltem tuus tali de re ac tanti ponderis tacet prorsus. Illud autem cogitans saepiusque animo reputans in miram incidi dubitationem, quam vidi plures occupasse, eosque viros copiâ doctrinae excellentes praeditosque acumine ingenii haud vulgari. Praeter alios, ut unum nunc nominem, hoc silentium notavit Roussavius, Franco-Gallorum notissimus philosophus, qui per duas epistolas *Novae Heloisae* (librum significo satis notum) ingeniose acriterque in utramque partem disputavit de illorum facinore hominum, qui vitam sibi abrumpunt et voluntariâ morte exstinguuntur. In illius libri lectione cum ad eum locum venissem, ubi auctor contendit, tantam rem in Sacro Codice esse praetermissam, nullamque ibi reperiri legem, quae *αὐτοχειρίαν* prohibeat, nullam adeo praeceptionem, quae dissuadeat, obstupescere coepi et anxie argumenta circumspicere, quo refutarem talem opinionem. Itaque veluti diffidens aliorum oculis evolvi Euangelia, perlustravi Apostolorum epistolas: at frustra, ad illum plane convellendum nihil. Aliam ingressus viam varios Theologorum libros percurri, in quibus ea quaestio vel consulto explicatur vel obiter tangitur, at frustra. Quicunque enim scriptores voluntariam illam mortem improbandam existimarunt, argumentis potissimum ex philosophiâ ductis. Philosophorum quidem meritis nihil ego detractum velim: certam vero persuasionem, quae oritur ex divina luce

religionis Christianae, illis omnibus anteponendam censeo. Apud Reinhardum certe, virum de morum doctrina Christianâ optime meritum, quod volebam, me inventurum sperabam. At ille quid? «Scio,» inquit (1), «et lubenter agnosco, ut reliqua omnia, «quae ad bene beateque vivendum pertinent, ita «etiam hoc debere homines religioni Christianae, ut, «quantum sit hujus vitae pretium, accurate intelli«gant: eos tamen sequendos censeo, qui philosophiam «et reprehendere voluntariam mortem, ut satis per«spicue ea de re praecipere, existimant.» Quae res virum eximium adduxit, ut copiosius exponeret ipsam Platonis hac de quaestione argumentationem. Praeclare haec quidem, sed ad Roussavii errorem coarguendum parum aut nihil. Defendere religionem Christianam ab hac parte conatus quidem est vir item praeclarus, Lessius (2), existimans, haud feliciter philosophiam pugnare contra eos, qui fortis putent et constantis animi esse, hujus corporis vinculis se liberare et e vita discedere; a Christiana vero religione eum furorem ita damnari, ut sensum cum ratione ejurasse videatur, qui id non intelligat. Sed hic quoque scriptor, tum quia justo brevior est, tum alias ob causas, mihi non omnino satisfecit: quare putavi et mihi fore utilissimum et aliis non ingratum, si illam quaestionem de industria tractarem. Placuit etiam, dissertationi adjicere brevem historiam quaes-

(1) Opusc. I. p. 67.

(2) Doctor GOTTFRIED LESS, vom Selbstmorde. Gött. 1776.

tionis, quo et gravitas rei appareat, et ex philosophantium miris dissensionibus simplicitas ac praestantia Ethicae Christianae luculentius cernatur aequiusque judicetur.

Erit igitur haec scriptio tripartita. Primum breviter quaeram, *Quid sit αὐτοχειρία et ex quibus fontibus manet:* deinde *quid de hoc facinore praecipiat religio Christiana:* brevi denique delineatione historicâ exponam: *quid hac de re praecipui de morum doctrina scriptores Christiani statuerint.*

PARS I.

DE αὐτοχειρίας NATURÂ ATQUE CAUSIS.

§ 1. *De αὐτοχειρίας naturâ.*

Cum omnis, quae ratione suscipitur, de aliquâ re disputatio, auctore Tullio, a definitione proficisci debeat, ut intelligatur, quid sit id, de quo agatur: mihi etiam placet statim in principio dissertationis notionem definire illius hominum facinoris, quod vulgo dicitur *αὐτοχειρία*. A definitione ut ordiar, etiam suadere videtur sententiarum ad eam pertinentium discrepantia. Fuerunt enim, magni sane viri, qui duplicem statuerent *αὐτοχειρίαν*, alteram eorum, qui actu quodam violento mortem sibi ultro consciscunt, ut austerus ille vir, Cato Uticensis fecisse traditur; alteram illorum, qui omittunt, quae vitam sustentant, aut faciunt, quae vim vitalem, etsi non statim, tamen per temporis diuturnitatem consumunt. Hanc vocarunt *subtiliorem*, illi vero nomen imposuerunt *crassioris*. Primum genus quid intelligant, paucis videamus: illud nempe facinus in eo positum est maxime, si sponte, nec vi quadam compulsi omittamus, quod

valetudini inserviat vel agamus, quod vitae finem necessario adferat. Hoc vero compluribus fieri modis, notum est, intemperantiâ potissimum et varii generis flagitiis, quae pluribus hic persequi, non est mei consilii. Referuntur huc etiam, quae in vitiis certe ponenda videntur, v. c. si quis labores suscipit, quibus vires ejus sunt impares, aut in ejusmodi pericula improvide ac temere ruit, quae vitae jacturam adferunt, et facile tamen citra omnem officii violationem evitari possunt. De hac subtiliore, quam vocant, ratione mortem sibi consciscendi, quid mihi videatur, aveo sed vix audeo dicere: meae enim opinioni obstare scio sententias (1) virorum magni nominis magnaeque auctoritatis. Horum igitur examini submittam meam qualemcunque opinionem, qua sublata, non tollitur fundamentum dissertationis, quippe agentis de facinore, quod illi *crassiorem αὐτοχειρίαν* dicunt, et quod mihi unice hoc nomine significandum videtur.

Nam si quaeramus, quid sibi velint, qui voluptatibus indulgent, quid spectent, quid sperent, quid optent: nihil sane aliud respondebitur quam ut diutissime vivant, quo diutissime frui possint suis gaudiis, atque vitâ quam longissime productâ, producatur etiam voluptas. Quod illi brevi tempore vitales spiritus consumunt, id profecto non faciunt, ut vitam

(1) Hi sunt REINHARDUS, AMMON, LESS, KRUG, aliique. Nostram sententiam tuitus est jam THIELEN VON THIELENFELD. — KRUGIUS subtiliorem vocavit *αὐτοχειρίαν indirectam*, crassiorem vero *directam*. Syst. der Pract. Phil. oder Theil. Tugendlehre p. 221.

finiant, sed turpiter abutuntur viribus a naturâ datis; imo tempus vivendi nobis mortalibus concessum non sufficit eorum desideriis. Accedit, quod imminente vitae periculo medicum consulunt et remediis continuo utuntur, nimirum ut diutius vitae deliciis fruantur.

In his ergo non est voluntas vitam finiendi nec atrox quoddam scelus, sed naturae vitiosa inclinatio, quam ob rem crimen mortis voluntariae iis non imputari posse videtur. Quod sic intelligi volo, eos haud leviter peccare, cum vitam exstinguant intemperantiâ aliisque vitiis, sed αὐτοφονευτὰς propter id ipsum non esse, quoniam haec peccata non committunt eo proposito, ut corporeas vires debilitent vitamque destruant. Idem dicendum videtur de omnibus, qui lucubrantes sanitati nocent mortemque sibi parant: nam quid inhumanius, quam eos αὐτοφόνου accusare, qui bonarum artium studiis adeo sese immerserunt, ut sui ipsorum obliti corporis robur frangerent, vitamque redderent breviorem? Nam curiosius indagare rerum omnium causas et effectus, naturae arcana scrutari, rerum humanarum leges rationesque per omnem historiam persequi, artis alicujus, quam factitandam elegeris, eximiam peritiam consectari — haec et similia nonne summorum semper virorum fuerunt? Num iis, qui probe expendunt, vitam esse brevem, artem longam, et singulari ardore in literarum studia incumbunt, ut assiduitate veluti compensent vitae brevitatem, notam caedis in semetipsos patratae inuremus, propterea quod incautius immoderatiusve

consueverunt, aut leniora nomina imponere vitiis ac sceleribus amant, maluisse mortem voluntariam quam αὐτοχειρίαν nominare, quicquid in hunc modum patratur; sed si vocabulis suam vim asserere, et scapham scapham appellare velimus, mors voluntaria et αὐτοχειρία non levi discrimine differunt. Proditum enim memoriae est, haud paucos in omni historia fuisse, qui, ut sanctis patriae legibus obsequerentur, ut officiis a recta ratione vel religione praescriptis obedirent, vitam deponere non dubitarent: tales, quoniam non eo consilio mortem oppetierunt, ut vivere desinerent, vitam suam pro aliis devovisse censendi sunt (1): cujusmodi exemplis referti sunt annales plurimarum gentium, praesertim Graecorum Romanorumque. Hos ut in praesentia missos faciam, ex historia antiquorum Hebraeorum nemini non facile succurrit celebratissimus ille Philistaeorum debellator, *Simson* (2), in cujus

(1) Cf. BAUMGARTEN CRUSIUS, *Lehrbuch der Christl. Sittenlehre*, Lips. 1826. p. 285—290.

Recte DE STAËL HOLSTEIN, l. l. p. 30. «Le martyr sert la cause de «la vertu, en livrant son sang pour l'enseignement du monde: celui «qui se rend coupable du suicide, pervertit toutes les idées de cou«rage, et fait de la mort même un scandale. Le martyre apprend «aux hommes quelle force il y a dans la conscience, puisqu'elle l'em«porte sur l'instinct physique le plus puissant: le suicide prouve bien «aussi le pouvoir de la volonté sur l'instinct, mais c'est celui d'un «maître égaré, qui ne sait plus tenir les rênes de son char, et se «précipite dans l'abîme au lieu de se diriger vers son but. On dirait «que l'âme, en commettant cet acte terrible, éprouve je ne sais quel «accès de fureur, qui concentre en un instant l'éternité des peines.»

(2) Judic. XVI, v^s. 28. Simsonem viribus suis abusum esse, minus recte, ut mihi videtur, statuit V. Ven. RASCHIG *Predigt gegen den*

facinore, quod ad ipsius necem spectat, non admodum difficile videtur judicium: nam si magni herois est hostibus omni modo nocere, iisque quam plurimum adferre damni; nemo illi viro hoc nomen honorificum negabit. Qui jussu divino egit, ingentibus a Numine viribus instructus, suoque populo strenuus vindex divinitus datus, is templum Philistaeorum evertens cum ingenti ipsorum strage, non sane vituperio notandus est, nec excusandus, sed laudibus et admiratione prosequendus. Αὐτοχειρίας accusare tantum virum non minus iniquum foret, quam facinoris turpitudinem exprobrare duci cuidam maritimae expeditionis, qui navem suo imperio suaeque tutelae concreditam perdere mavult igne incensam, quam perfidis hostibus tradere. Caeterum ex moribus et cogitandi consuetudine priscorum temporum aestimandum est Simsonis facinus. In fidei heroibus locus ipsi conceditur a Viro apostolico Hebr. XI. Tales igitur viri, fortitudinis indignationisque sensu agitati, sese devoverunt, non ut vitam finirent, sed ut hostibus perniciem interitumque adferrent. At (1) *Saulus*, Israëlitarum rex, qui se interemit, ne in manus caderet hostium: (2) *Achitophel*, proditor Davidis, se laqueo suspendens metu poenae ignominiosae: ut

---

Selbstmord. p. 9. Melius certe REINHARDUS, l. l. p. 70. « si eam opportunitatem, qua occubuit, elabi passus esset, officio profecto defuisset, et turpissimam prodidisset ignaviam; nisi forte et milites, qui in bello dimicantes, vitam pro patria amittunt, damnandos putamus. » Aliter NIEMEIJER, *Characterk*. II. p. 557 sq.

(1) I Sam. XXXI, 4. (2) II Sam. XVII, 23.

et (1) *Zimri*, qui, rege interfecto, sibi ipse diadema imposuit ac statim, ne a legitimo successore caperetur, incenso mox palatio se ipse cremavit, hi omnes *αὐτοφονευταὶ* merito dicuntur. Merum autem mortis desiderium, si non ipsi diras nobis manus inferamus, ad *αὐτοχειρίαν* referri non potest, nisi in illis maleficis, qui consulto homicidium fecerunt vel aliud atrox facinus patrarunt, ut Iudici traderentur capite damnandi, cujus rei exempla vel a majoribus natu audivi, vel apud scriptores (2) juris et morum legi: neque enim video, cur *αὐτοχειρίας* non accusetur, qui ex desiderio quodam male intellecto et turpi errore supplicium affectat.

Et sic, nisi fallor, probabiliter definivimus illud scelus, de quo sermonem institueramus, nec opus videtur, ut diutius rei haud ignotae immoremur. Descendam igitur in considerationem fontium, ex quibus *αὐτοχειρία* promanare solet. At sunt in animis hominum tot latebrae totque recessus, ut vix quidquam magis arduum ac difficile in me suscipere posse videar: quis enim, si vel diutissime *αὐτόχειρα* observaverit, familiarem cum eo consuetudinem habuerit, ipsum vitae exitum atrocem in eo spectaverit, sententiam omnibus partibus idoneam feret? quanto autem difficilius id fiet a remotioribus arbitris, qui ejusmodi hominem non coram cognoverunt, nec rei gestae interfuerunt? conabimur tamen, quae ab humanae

(1) I Reg. XVI, 18.

(2) Cf. A. MOLL, *Leerboek der geregtelijke geneeskunde.* 1825. I. p. 352.

naturae sagacibus scrutatoribus rerumque moralium peritis aestimatoribus hanc in rem observata ac monita sunt, veluti in summam contrahere et nostro qualicunque examini submittere.

§ 2. *De αὐτοχειρίας causis.*

Causae *αὐτοχειρίας* dicuntur et habentur plurimae, ac propemodum innumerae, sed maximopere cavendum est, ne, quicquid illud facinus proxime antecessit, pro ejus causa accipiamus. Nam permulta certis actionibus humanis antecedere possunt, quae ad eas efficiendas vim vel nullam vel perexiguam habent.

Causae igitur illae, quod viri docti monuerunt, duplicis potissimum generis sunt, aliae *physicae*, *morales* aliae. De *Physicis* primum nobis agendum: quas qui diligenter cognoscere cupit, philosophantes medicos (1) adire debebit; mihi quidem a medici personâ alieno hic breviter exponere sufficiat, quae illi observarunt ac docuerunt.

Naturâ nobis innatus est amor vitae, quocirca praeclare loquitur Cicero (2) «omne,» inquit, «animal, «simul ut ortum est, et se ipsum et omnes partes suas «diligit; duasque, quae maximae sunt, inprimis am«plectitur, animum et corpus; deinde utriusque partes.

---

(1) A. NOLL, l. c. p. 300—330. et OSIANDER *über den Selbstmord* etc. Hannov. 1813. inprimis autem Dr. ARNTZENIUS, diss. medica de *Suicidio*. p. 18 sq.

(2) *De Fin.* II. 11.

« Nam sunt et in animo praecipua quaedam, et in corpore; « quae cum leviter agnovit, tunc discernere incipit, « ut ea, quae prima data sunt naturâ, appetat, aspernetur que contraria. » et alibi (1) « principio generi « animantium omni est naturâ tributum, ut se, vitam, « corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura « videantur, omniaque, quae sint ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut « alia generis ejusdem. »

Quantam autem ingenuerit animantibus conservandi sui natura custodiam, uberius explicuit idem Romanus in II^i de natura Deorum libri capite 48 sqq., ubi multa proferuntur exempla, quibus haec sententia egregie illustratur.

Qui igitur sibi vitam adimunt ipsi, in his requiritur maxime vis quaedam contra naturae leges agens, et haec, ut videtur, causa est *Physica* αὐτοχειρίας. Tum melancholia homines ita opprimit, ut quid faciant, quid omittant, non cogitent, non anquirant, ne sciant quidem ipsi. Hujus morbi plura numerantur genera (2),

---

(1) *Off.* I. 4.

(2) Delirium quatuor constat generibus, melancholiâ, maniâ, moriâ et amentiâ: melancholia discernitur in varias partes, quas medici vocarunt, melancholiam religiosam, daemonicam, eroticam et vitae taedium. Ad hoc posterius pertinet Anglorum ille morbus, nomine populari *spleen* dictus, (MOLL. l. l. p. 300 sq.) quem significat MONTESQUIEU, ubi scribit « Les Anglais se tuent sans qu'on puisse imaginer aucune raison qui les y détermine; ils se tuent dans le sein « même du bonheur. Cette action, chez les Romains, était l'effet « de l'éducation; elle tenait à leur manière de penser et à leurs « coutumes: chez les Anglais c'est l'effet d'une maladie, elle tient

quae saepe efficiunt, ut quis mortem sibi consciscat. At cum ei, qui mente captus rationem probabilem reddere non potest, imputari nequeant, quae egit aegritudine: luce clarius est, nullam de ejus voluntate quaestionem institui posse. Hujus autem aegritudinis origo imputanda videtur, si nempe causa efficiens

---

«à l'état physique de la machine.» Quem tamen refellit PH. PINEL dicens «L'espèce de penchant au suicide, qu'indique l'auteur de «l'Esprit des lois, et qui est indépendant des motifs les plus puis«sans de se donner la mort, comme la perte de l'honneur ou de «la fortune n'est point une maladie propre à l'Angleterre, on en «voit des exemples nombreux en France dans les hospices.» (PH. PINEL *Traité Medico-Philosophique sur l'Aliénation mentale* a°. 1809 p. 168.) Sic igitur responsum est quaestioni, utrum sit animi quaedam inclinatio in αὐτοχειρίαν aut corporis dispositio, de qua Dr. C. F. AMMON *vollständiges Lehrb. der Christl. Relig. Moral*, 4e *Ausgabe*. Gött. 1806. et OSIANDER l. l. p. 13 sq. c. II et c. IV. p. 196 sq. STATIUS MULLER l. l. p. 27 et p. 88. DE STAËL HOLSTZIN, *Réflexions sur le suicide* 1813. Cujus judicium de αὐτοχειρίᾳ apud Anglos p. 45 memoratu dignum videtur. «L'Angleterre est le pays, dans lequel «il se commet le plus de suicides: et l'on s'étonne avec raison, «qu'une nation où la religion exerce un si noble empire, offre «l'éxemple d'un tel égarement.» Causas vero hujus rei enumeravit sequentes. «1) Le caractère Anglais est en général très actif et même «très impétueux. 2) Le climat d'Angleterre porte singulièrement à «la mélancolie. 3) L'extrême importance que l'on y attache à l'opi«nion publique; dèsque la réputation d'un homme est altèrée, la vie «lui devient insupportable.»

hinc SHAKESPEAR:

— «And then, what's brave, what's noble,
«Let's do it after the high Roman fashion,
«And make death prout to take us.»

BENEDICTUS DE SPINOZA non dubitavit, quin omnes, qui mortem sibi consciverint, deliveraverint prorsus. *Eth.* p. 104. Ed. Belg.

miseram conditionem istam in homine sit posita. Quod autem ad causas secundi generis; homo duplici constat naturâ, appetitu (ὁρμῇ), unde animi perturbationes omnes, et ratione, qua praestat caeteris animantibus cunctis: in quibus ergo regnat ratio, hi se numquam ipsi interficiunt, sed qui exstiterunt αὐτοφονευταὶ, obtemperarunt perturbationibus animi, et ὁρμῇ tamquam reginâ se duci passi sunt.

Primum locum occupat *amor*, a ratione non temperatus, sed in illam dominans ipse, de quo *Alcesimarchus* apud Plautum in Cistellaria, tam eleganter quam vere:

« Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum.
« Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quaeram,
« Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi:
« Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser.
« Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nebulam mentem
« Animi habeo: —
« Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
« Raptat, retinet, lactat, largitur; — ita meum frangit amantem
« Animum; neque, nisi quia miser non eo possum, mihi ulla abest
« Perdito pernicies. »

(*Act II, Scen I.*)

Ad idem genus referuntur, primum *Zelotypia*, quae dicitur, cum aegritudine cruciamur, moerore afficimur et extra nosmetipsos rapimur ita, ut diras nobis inferamus manus: deinde *aemulatio* aut *ambitio*, cui si satisfacere non possumus, ut eum honoris gradum, quem volumus, assequamur, ne vivere quidem diutius quam secundo aut tertio loco contenti esse malumus. Huc accedit *ulciscendi* ardor, quo qui

flagrant, omnia despiciunt, ubivis vagantur et nullo loco quiescere possunt, donec suam veluti sitim sedaverint. Quodsi furori suo satisfacere nequeunt, vitam sibi auferunt ipsi (1).

At una est ratio omnium animi motuum, plura nomina: qui, si diriguntur rectâ ratione, virtutis fiunt fontes, sin huic dominatui non subjiciuntur, omnibus frenis remissis, innumera procreare solent vitia. Nam ex uno trunco rami denuo crescunt, qui, si non recesentur, aut truncus ipse planc exstirpetur, sensim sensimque arbores evadunt, omnia umbrâ tegentes et semina a lateribus sparsa suffocantes.

Sed causis, quas enumeravi, adjungatur *satietas* vel *taedium vitae* apud eos inprimis, qui magis instinctu quam ratione vixerunt, quorumque vita a brutorum animalium vivendi genere non differre videtur, nisi forte hoc discrimine, quod haec nesciunt praeterita, fruuntur praesentibus, non anquirunt de futuris, illi vero oblivisci non possunt acceleratae ipsorum culpâ ruinae, frui nolunt residuis adhuc bonis, et quid hac in vita futurum sit, insuper praevident. Alios multos occupavit quidam veluti stupor, ut nullâ

---

(1) Exempla, si forte quaeras, plura citavit V. Ven. STATIUS MULLERUS l. c. p. 80—84. Addi potest, quod nuper accidit Parisiis. *Victor Escousse* Juvenis 19 annorum sibi ipse non tantum conscivit mortem, sed et amico *Augusto Lebras*, ut id faceret, persuasit: ejus argumentum his continetur verbis «*nous ne pouvons jouer de rôle: il faut divorcer avec la société.*» Vid. LE PROTESTANT n° 23. 10 Mars 1833. Paris.

amplius vitae curâ moveantur (*indifferentiam* vocare nunc solent) ortus ille ex gravibus doloribus, quo status tandem abit in perfectum odium vitae terrestris, in qua nihil sibi superesse opinantur, nisi incommoda, calamitates, angores, quorum finem praestolari nec possunt nec volunt.

Ex eodem fere genere est, si quis amisso aliquo tamquam summo bono, vitam jam negat vitalem esse, et meliora desperans, nihil restare putat, nisi perpetuas lamentationes, aut honestum scilicet exitum ex carcere corporis, in quo inclusus est invitus.

Etiam *metu*, id est, opinione impendentis mali, quod intolerabile videatur, saepe animadvertimus homines adeo concuti ac perturbari, ut mortem sibi consciscant. Exemplum audivi ex viro spectatae fidei, venerabili illo et jam senescente rerumque humanarum probe gnaro; se cognovisse hominem Christianum, virum bene moratum, saepiusque cum eo sermones habuisse de αὐτοχειρίᾳ. Is, inquit, ignominiosissimum judicabat et ab officio Christiani hominis alienissimum, si quis, tamquam ignavus miles irruentibus hostibus stationem suam derelinquens, ad vitae calamitates paveret et pugnam effugeret: nihilominus idem ille post paucorum dierum intervallum vitae suae vim inferebat, sibique mortem consciscebat ipse, poteratque ejus facti causa alia nulla inveniri, quam metus. Nimirum angoribus eum implicaverant curae domesticae: impar sibi videbatur alendae uxori sustentandisque, quos multos habebat, liberis: hinc, sibi violentam manum inferens, misericordiam civium

suorum implorare velle videbatur: quamquam dubitari potest, metune id fecerit ille, an superstitione; haud scio enim, an devoverit se, ut aliorum saluti consuleret. Quicquid sit, verissimum censeo illud Aristotelis, «mori fugiendae paupertatis aut amoris aut molestiae «causâ, id vero non est animi virilis, sed potius vilis «et ignavi.» (1).

Poenitentiam quoque in causis αὐτοχειρίας esse recte affirmarunt Ethicae scriptores, quotquot de morte voluntaria disputationem ingressi sunt. Injuria enim factâ, quam restituere non possumus, cujusque nos adeo poenitet, ut animi tranquillitatem amittamus, saepissime desperationem efficit; qua qui occupatur, sibi facile mortem consciscit ipse, idque tum maxime, si errorem corrigere aut delictum poenitendo emendare non valeat. Exempla sunt multa, notissimum omnium Judae proditoris.

Potiores quidem, sed non omnes causas exposui, quibus homo ad vitam sibi adimendam compellitur. Possunt enim idem efficere quivis alii animi humani affectus aut motus, in quibus aliquid immodici ac nimii inest. Immodica ac nimia virium ingenii intentio, diuturna indagatio subtilium quaestionum, et fusum studium rerum arcanarum, maxime coelestium, valere jussis rebus terrestribus, brevi: scepticismus, mysticismus, fanaticus animi aestus quovis tempore tristissimos effectus habuerunt, nec raro ad vitam sponte finiendam homines induxerunt (2).

(1) *Eth.* III, c. 11. (2) Cf. STÄUDLIN. *Gesch. des Scepticism.* p. 65. Quod autem scriptum est in diario, *Vad. Letteroef.* Oct. 1832.

Exstitisse tamen haud paucos αὐτοφονευτὰς, in quibus aliam tristissimi consilii causam quam bonam et laudabilem per se, nisi hunc habuisset exitum, vix invenias, teste historia, credere jubemur. Exemplum in promtu (1). Puer decem annorum laqueo se suspensurus accurrenti et causam tantae audaciae quaerenti matri respondit: tu mater mea pauper es, nec satis nunc habes, unde me fratresque meos sustentes: me autem mortuo, victus, ut spero, et tibi et fratribus sufficiet: haec ego reputans abire decrevi. In hoc pueri conatu quis est, quin admiratione potius et misericordia, quam indignatione tangatur?

De virtutibus tamen, quae in causis αὐτοχειρίας habitae sint, non est, quod pluribus dicamus. Laudarunt multi Catonem illum, qui ex ingenuo patriae amore, lecto Phaedone, audacter sese interemerit. Sed

---

p. 521.) Patrum Dordracenorum de *decreto absoluto* placitum eo saepe homines abducere, ut ultro mortem quaerant, huc valere non videtur et hanc sententiam optime sed nimis acerbe refutavit Vir Cons. C. H. VAN DER KEMP, *Iets over het toenemen van den zelfmoord in onze dagen.* 1832. Operae pretium est, in memoriam revocare, quae GISB. VOETIUS scripsit de iis, qui ex *solicitudine circa aeternam animae salutem* mortem sibi conscivissent: «malo, *inquit*, ex «judicio caritatis ad vehementem paroxysmum tentationis cum melan«colico delirio mixtum hunc tristem casum referre, quam ad formalem «desperationem. Idem judicium esto de nonnemine, qui Lugd. Bat. «ante paucos annos occasione contentionum *de praedestinatione* (quas «Remonstrantes illic moverant) mortem sibi dicitur conscivisse in Sa«tyra PETRI CUNAEI — cui tit. *Sardi Venales.*» (Cf. *Select. Disp. Theol.* p. IV. p. 246.)

(1) Cf. *Proeven voor verstand'en hart* door BELLAMY, enz. Rott. 1826, I. p. 92.

cur laudemus virum lapideum, cujus nimia severitas, virtutis splendidam speciem prae se ferens, vitium fuit maximum? nec enim video, quid ille boni ac praeclari effecerit sua morte, aut quid inde commodi vel utilitatis in civitatem redundaverit. At flagrabat amore patriae? quid? num fugimus, quam amamus? idque tum maxime, cum carissima in aperto periculo versatur? Imo non patriae amore sed sui amore ardebat Uticensis, fuitque ejus mors non fortitudinis testimonium sed imbecillitatis, qua se temporibus accommodare nesciret (1). Quemadmodum enim plurima vitia sunt affinia virtutibus nimis late patentibus et ultra terminos suos productis, sic ex vera animi constantia, quae rectae rationi conveniens summis laudibus celebratur, si rationis frenos remiseris, fit damnabilis pertinacia. Hinc non est, quod miremur, si nonnullos homines sibi componere videmus ex confinio virtutum ac vitiorum monstruosam quamdam morum praeceptionem, eamque pro lege actionum suarum sequi, ut in judicio de moribus ipsorum etiam cautissimi et perspicacissimi saepe fallantur.

Sed ut, misso Catone, ad rem redeamus, et nostrorum temporum potissimum rationem habeamus, perdifficile profecto est, in enumerandis fontibus αὐτοχειρίας nihil omittere. Numquam enim magis reconditam et quasi velis tectam se praebet natura humana, numquam frons, oculi, vultus, oratio ipsa magis mentiri solent, quam in eo, qui sui interimendi

(1) Cf. GARVE *Anmerk. in Cic. off.* p. I. p. 209—221.

consilium fovet, ac voluntariam mortem meditatur. In eo tamen, opinor, magnus est observantium et iudicantium consensus, plurimos αὐτοφονευτὰς esse homines scelestos, perditos, profligatos. Tales, quod observatu dignum censeo, etiam illi, qui memorantur in Cod. S., quorum haud scio, an vel unus sit, quem non jure meritoque hominem abjectum et magnis sceleribus inquinatum dixeris. Amisso omni *pietatis erga Deum* affectu, repudiatisque legis nobis a naturâ inditae monitis, exstincto denique omni fere sensu morali, quum se ab eo, quem dereliquerant, derelictos viderent, ad desperationem coacti, insaniae proximi semetipsi crudeliter interfecerunt. Id non magis cadere opinor in Saulum, Achitophelem, et Zimri, quam in proditorem Domini Judam Iscariotham, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας.

Nostro autem aevo, quantus est numerus eorum, qui consumto per aleam patrimonio, aut exhaustis Venere et Baccho viribus, nullum videntes refugium violenta morte vitam finiunt!

His omnibus adhuc una mihi addenda videtur eaque haud levis causa, quae semper magnam exercuit vim in plerasque hominum actiones: *exemplum* dico, quo si bonum est, nihil melius, sin malum, nihil ad formandos mores perniciosius excogitari potest. Utut enim persuasum sit nobis, id quod fieri solet, non continuo decere, tamen si a plerisque omnibus factum videmus, idem nos facile sequimur. Ita fit, ut per seriem quandam decurrant pravae affectiones actionesque humanae. Ex animi perturbationibus, qui-

bus indulgetur, oriuntur peccata: ex peccatis repetitis existat consuetudo peccandi necesse est: ex peccandi consuetudine comprobatio: ex comprobatione exemplum, quod qui sequuntur, in omnis generis scelera ruunt, horumque multitudinem tandem αὐτοχειρία concludunt.

Sic breviter exposuimus causas vulgo recenseri solitas ab iis, qui hujus facinoris rationem investigarunt. Quantum illud repugnet naturae humanae rectaeque rationi, philosophi dudum ante nos monuerunt, quorum de numero unum hic nominasse juvat, W. TRAUGOTT KRUGIUM, virum, cujus cogitatio sola incendit nostrum studium sanae philosophiae cognoscendae. Is (1) lectoribus proponit, quod *Napoleon*, Galliae Imperator alicubi dixisse fertur: «vitam sibi adimere «prae amore, amentiae est: ob amissum patrimonium, «ignaviae: ne gloriae nostrae supervivamus, imbecil«litatis; sed imperii jacturae superesse, et aequalium «ludibria sustinere, verae fortitudinis.»

Praeclare dictum! si quidem fortitudo est non solum considerata periculorum susceptio, verum etiam laborum perpessio rerumque tolerandarum scientia. Haec enim tamquam partes suas complectitur (2) magnificentiam, quae est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio; fidentiam, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in

(1) *System der Pract. Phil.* 2er Th. p. 223.

(2) Cf. CICERO *de Inv.* II. c. 54.

se fiduciae certa cum spe collocat; patientiam, quae est honestatis aut utilitatis causâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria et diuturna perpessio; denique perseverantiam, sive stabilem ac perpetuam permansionem in ratione bene consideratâ, in perpetiendis doloribus, in contemnenda morte. Ab hac omnes alienissimos fuisse, qui sibi mortem umquam conscivérunt, eosque lassitudinem potius animi cum imprudentia ostendisse confiteamur necesse est.

Causarum αὐτοχειρίας hactenus expositarum an certa quaedam genera constitui possint, quo singulae commode referantur, haud inutilis quaestio est, sed perdifficilis. Tamen ut periculum faciam, haec quatuor proponam.

Primum censeo in *animi perturbationibus* esse ponendum, ad quas pertinent amor, zelotypia, aemulatio, ulciscendi cupido, metus et quae sunt ejusmodi reliqua; quod genus quam late pateat, omnibus notum est.

Secundum in *erroribus de summo bono et malo, deque vera felicitate humana;* hinc illud vitae taedium oriundum ex amisso aliquo bono, quo niti videbatur omnis beatitas nostra, quippe opinantium, in splendidis honoribus, opibus, divitiis aliisque hujus mundi invitamentis nos summum bonum inventuros.

Tertium opinor esse *verae religionis inscientiam ac negligentiam*, et hinc ortam impietatem, amissam fiduciam in Dei favore collocandam, beneficiorum per Christum hominibus tributorum aut tribuendorum ignorationem; beatae immortalitatis spem aut abjectam

aut numquam conceptam cum contemtu vel neglectu eorum, quae de futura quadam retributione divinâ ipse rerum humanarum summus arbiter atque judex cordibus nostris insculpsit, et per tot viros a se missos explanatius apertiusque doceri jussit.

Quartum denique est, cum decipimur in judicanda ipsius facinoris honestate dubitamusque utrum liceat an non liceat, deque viis, quas ineamus ad consequendum bonum aliquem propositum finem. Huc referri possunt omnes argumentationes fallaces, quibus *αὐτοσχεδίαν* defendere solent; huc pertinet illud exemplum supra expositum de patrefamilias, qui suâ nocte suis providere cupiebat: huc praesertim pervicacissima illa et pessima fallacia, quasi nihil referat, qualibus rationibus adminiculisque utamur, si modo bonum finem nobis propositum assequamur. Qua de re Paulus Apostolus Rom. III, 8. *ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι.* Verum haec hactenus: nam sentio me longiorem in his fuisse, quam propositi ratio postulare videbatur. Transeamus igitur ad alteram disputationis partem, quam uberius tractare apud animum constituimus.

PARS II.

QUID DE αὐτοχειρίᾳ PRAECIPIAT DOCTRINA CHRISTIANA?

Duplex via est, qua inquiramus in hanc Ethices Christianae partem. Primum enim quaeratur, necesse est, *sitne locus aut praeceptum quoddam diserte vetans hoc crimen;* deinde consulenda est *religionis Christianae indoles universa,* ut pateat, quid statuendum sit *de αὐτοχειρίας moralitate.*

CAP. I.

SITNE LOCUS AUT PRAECEPTUM DISERTE VETANS αὐτοχειρίαν; SI NON SIT, QUAERITUR UNDE HAEC RES PRAETERMITTI POTUERIT IN CODICE S.

§ 1. *Sitne locus aut praeceptum.*

Multos fore suspicor, qui quaerant, quae differentia sit *loci* et *praecepti;* quibus respondendum breviter existimo, *locum* a me dici ejusmodi orationem, qua Scriptorum Sacrorum aliquis quaestionem quamdam moralem tractat, et quid liceat, quid non liceat, non

obscure significat, ex quo genere sunt Pauli argumentationes de matrimonio I Cor. VII. et aliis rebus multis. *Praeceptum* vocamus, quod legis auctoritate aliquid imperat aut vetat, qualia sunt Decalogi praecepta, item illud Christi de amore mutuo eoque fraterno, ejusdem praescriptum de coena sacra et similia. Unum quidem, quod videretur, praeceptum esse de *αὐτοχειρίᾳ* expressum, a multis in medium allatum est: quintum, puto, Decalogi praeceptum, quod quoniam Decalogus, firmum illud theocratiae Israëliticae fundamentum, a Domino nostro egregie confirmatur, non potest non magni ponderis censeri. Placuit imprimis Theologis superioris aevi, hoc praecepto *αὐτοχειρίαν* vetari. Nos pro instituti ratione cavebimus, ne dictum illud alio sensu accipiamus, quam quo legislator ipse voluit accipi, et verba accuratius considerare conabimur.

Illo igitur Decalogi edicto לֹא תִרְצָח Exod. XX, 13. Deut. IV, 17. duplici viâ usi sunt Theologi Christiani: *oblique αὐτοχειρίαν* vetari crediderunt (1) Chrysostomus et Lactantius, sic fere ex analogia argumentati, si non liceat alium interficere, id quoque non licere, ut nobis vitam ipsi adimamus. Augustinus contra putavit *αὐτοχειρίαν directe* illo praecepto prohiberi, sensum verborum ita extendens, ut de quavis occisione valeant, tam nostri ipsorum quam aliorum hominum. Ejus ratiocinatio haec est (2): «prohibitos nos esse «intelligendum est, ubi lex ait, *non occides:* prae-

(1) Cf. huj. diss. part. III. c. 1. (2) Civit. Dei. I. c. 20.

«sertim, quia non addidit, *proximum tuum*, sicut «falsum testimonium cum vetaret, *falsum*, inquit, «*testimonium non dices adversus proximum tuum*. «Nec ideo tamen si adversus se ipsum quisquam falsum «testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit «alienum, quoniam regulam diligendi proximum a «semetipso dilector accepit: quandoquidem scriptum «est, *diliges proximum tuum sicut te ipsum*. — «Quanto magis intelligendum est, non licere homini «se ipsum occidere cum in eo, quod scriptum est, «*non occides*, nihil deinde addito, nullus nec ipse «utique, cui praecipitur, intelligitur exceptus. — Non «occides, non alterum, ergo nec te. Neque enim, qui «se occidit, aliud quam hominem occidit.»

Nervum igitur probandi Augustinus in eo sibi deprehendisse visus est, quod illud *Ne occidito* sit simpliciter positum, non addita mentione *proximi* vel *alius hominis*, voluitque sensum dicti latissime patere et *αὐτοχειρίαν* includere. Quam quidem interpretationem confutavit (1) Robeccius in eo libro, ubi Funccius, in animadversionibus, Augustini sententiam summo studio defendere conatus est. Similiter multi recentiores (2), etsi se stare non putent a partibus Augustini, eadem ratione ex illo praecepto argumentantur, in subsidium vocato loco Gen. IX, 6. *qui sanguinem effundit hominis, ejus quoque sanguis*

(1) Robeck de m. v. p. 17 sq.

(2) Dumas, *traité sur le Suicide*, p. 336 sq. Staël holstein, p. 26 aliique.

effundetur ab hominibus. Sed quo jure hunc locum in suam rem adhibeant, non assequor. Est enim perspicuum, de occisione aliorum hic agi, hanc vetari ob dignitatem hominis, qui sit Dei imago. Monent illi quidem, eandem ob causam, quae vetet alios interficere, etiam *αὐτοχειρίαν* vetari, per quam et ipsam incidamus in crimen laesae imaginis divinae; non repugno, si modo mihi dent, non statim effici ex eo loco, quod volunt. Cavendum tamen, ne verbis sententiam subjiciamus, quae sit alienior a mente legislatoris, cui istam legem scribenti etiam tales homines obversatos fuisse, qui sibi ipsi violentas manus inferunt, sumitur, non demonstratur. Neque necesse erat, ut Israëlitis praeceptum daretur de semetipsis non occidendis, cum nullum adhuc exemplum fuisset, quantum quidem ex Codice S. patet, *αὐτοχειρίας*, et ad civilem legislationem id minus pertinere videretur (1). Accedit, quod naturae quodam instinctu homines aeque atque bruta animalia se ipsi diligunt, et se suosque defendunt ab hostium invadentium impetu, quin adeo, ne ipsi interficiantur, irruentes interficiunt. Nec alio sensu quam de alterius occisione Jesus Christus illud accepit: Matth. V, 21. ubi Dominus inducitur ad populum dicens *ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις· οὐ φονεύσεις*· . . . . . *ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει*· subintelligitur *οὐ φονεύσεις τὸν ἀδελφον*. Sed de prima quaestione satis dictum est.

---

(2) Cf. MICHAËLIS Mos. R. VI. § 272.

Alia quoque effata haud pauca ex utriusque Foederis libris in eandem rem prolata sunt.

Jobi loca c. II, 9. et VII, 11. citarunt J. D. Michaëlis, Stäudlinus, Reinhardus aliique.

Jobus, ulceribus vexatus acerbissimis a planta pedis usque ad verticem, in medio sedens cinere testam sibi sumsit, ut scaberet se, cui uxor:

עֹדְךָ מַחֲזִיק בְּתֻמָּתֶךָ בָּרֵךְ אֱלֹהִים וּמֻת.

An adhuc retines integritatem tuam? valere jubeas Deum et morere. — Sed non perspicio, quid haec ad αὐτοχειρίαν. Sententia haec est: *quid pergis fidem ponere in Deo, qui te reliquit? relinque eum, ac tum fortasse cito morieris* (1). Nequaquam igitur his uxoris verbis continetur admonitio, ut sibi ipse mortem consciscat, sed contra mors proponitur ut finis cruciatuum vehementissimorum.

Altero loco Jobus significat, se tam ingentibus affici doloribus, ut mors sit pro desideratissimo bono habenda: ne in lecto quidem esse aliquid solaminis, se somniis perturbari, praestare suffocationem et mortem *prae ossibus*, i. e. prae corpore excruciato et macerato quasi dixisset: *mallem statim suffocari, quam cadaver meum intueri.* Subjungit vs. 16.

מָאַסְתִּי לֹא לְעֹלָם אֶחְיֶה חֲדַל מִמֶּנִּי כִּי הֶבֶל יָמָי.

Quae verba haud pauci interpretantur: *tabesco,*

(1) Cf. BAUMGARTEN CRUSIUS *Lehrb.* p. 290. sic V. Cl. VAN DER PALM, «hoe? houdt gij nog vast aan uwe opregtheid? Zegen God en sterf! «verlaat, verloochen hem, die uwe trouw zoo slecht beloont: misschien zal dan een rasse dood aan uwe ellende een einde maken.» Cf. *Leerr.* III° dl. p. 257.

non in seculum vivam, desiste a me, nam habitus (sunt) dies mei, monentes *tabesco* idem esse, quod *diffluo, dissolutus sum*, ut radix sit מסס et sententia «*mihi infelicissimo et ad mortem certam destinato «cur negatum est illico respirare?*» alii ducunt a radice מאס *sprevit, aspernatus est*, subintelligentes *vitam* (1). Quidquid sit, Jobum non cogitasse de *αὐτοχειρίᾳ*, patet ex sequentibus, ubi Deum implorat, *ut mortem ei immittat potius, quam amplius eum tot ac tam atrocibus malis angat et discruciet.*

Itaque non video, in citatis ex Jobeide locis quicquam inesse, quod ad nostram quaestionem expediendam faciat. Sin reapse aliquid, illam tangens, iis inesse videretur, vix tamen in verbis viri, nunc quidem Divino spiritu non acti, neque doctoris divini munere fungentis, sed vehementissimi morbi vi plane fracti, de sorte sua gravissime, nec per omnia recte, conquerentis, illud equidem inesse existimarem, ut de quaestione morali, ex mente quidem summi doctoris nostri, Jesu Christi, sententiam ferat.

Progrediamur jam ad Novum Foedus. Cujus in libris si quaeramus legem quamdam *οὐ φονεύσεις σεαυτόν*, vel disertam enunciationem aliam, quae quidem legis speciem prae se ferat, nihil ejusmodi reperimus.

(1) Dr. W. M. LEBERECHT DE WETTE hunc locum sic explicat: «auch «auf dem Lager finde ich keine Ruhe: Mich ängstigen böse Träume. «Lieber wäre mir der Tod, als dieses lebendige Hinsterben. Ich «schwinde, mein Leben ist ohnehin kurz; möge Gott von mir ab«lassen.» p. 303. 3er th. *Christl. Sittenlehre*, Berlin 1823. Cl. VAN DER PALM, «'k ben alles moede! 'k zal toch niet eeuwig le«ven.... laat af van mij! mijn dagen zijn immers maar damp!»

Ad aliam vero quaestionem, *sintne loca, in quibus aut damnetur aut approbetur* αὐτοχειρία, vario modo responsum est, et constat satis, nullum esse locum, qui huic facinori faveat. Jubemur quidem vitam, si necesse sit, pro aliis ponere, eamque virtutis aut religionis causa perdere; sed ut nobismetipsi eam auferamus, nusquam suadetur aut permittitur. Dicitur enim Matth. X: 39. Ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν. Qui perdit vitam, id est, *cui adimitur vita* religionis meae causa, fruetur felicitate maximâ, vitam obtinebit veram (1). Huc pertinent etiam Matth. XVI: 25. Luc. IX: 24, XIV: 26. et Joh. XII: 25. ex quibus Robeccius (2) efficere voluit, Jesum Christum diserte jussisse odium vitae nostrae. Legimus profecto apud Johannem: Ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἀπολέσει αὐτήν. Καὶ ὁ μισῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, εἰς ζωὴν αἰώνιον φυλάξει αὐτήν. quod ille explicat (3) «amorem corporis «et vitae esse, quantum quisque potest, minuendum «et eo quidem usque, ut vertatur in pium honestum-«que odium.» Summa,» sic pergit, «et caput hujus «doctrinae Christi est, odisse aut contemnere saltem «parvique facere corpus et vitam suam: tanti vero «aestimare virtutem, ut pro ea, dum necesse est, «moriaris. Utrum sponte tua, an per vim alienam, «nihil ad rem ipsam interest.»

(1) Hanc interpretationem tum loquendi usu suaderi, tum ex loco parallelo Marc. VIII, 35 patere, vide, sis, apud GROTIUM ad h. l. et quos citavit KUINOEL.

(2) Cf. ROBECK l. l. p. 76 sq.

(3) Cf. ROBECK l. l. p. 86 sq.

Quae sequuntur, non describam; nam omnia fere vim inferunt interpretationi Hermeneutices regulis adstrictae, omnisque conclusio nititur argumentatione fallaci. Nos vero locum in hunc fere sensum interpretamur: «qui vitam hanc terrestrem majoris facit, quam meam doctrinam, qui me potius abnegat, quam vitam amittit, qui meam causam deserit, ut maneat in vita terrestri, is perdet vitam aeternam neque erit particeps regni Messiani: contra qui me ita amat, ut vita terrestris ei sit quasi odio, ut vitam lubens deponat mei causa, is animam suam servabit in vitam aeternam eritque particeps regni Messiani» (1). Illud φιλεῖν et μισεῖν non *absolute* dici sed *comparative*, non est, quod moneamus; e locis parallelis patet τὸ φιλεῖν simili sensu idem esse, quod φιλεῖν ὑπὲρ ἐμέ, τὸ μισεῖν significare *posiponere*, ut docemur, Luc. XIV, 26, ubi Jesus dicens inducitur, εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ, ... ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, οὐ δύναται μου μαθητὴς εἶναι, quae verba manifesto illustrantur Matth. X, 37. ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ, κ. τ. λ. Ex hac autem interpretatione patet, locum ad nostram non pertinere quaestionem: docet enim «amandum esse Christum supra omnia reliqua, et ita quidem, ut vel id, quod ex naturâ nostrâ summum nobis et carissimum est, eripi lubenter patiamur, si quidem possessio cum amore erga Dominum nostrum non

(1) Cf. KUINOEL ad locum et THOLUCK, *Comm. zum Evang. Johannis.* MORI Acroas. Acad. vol. II. p. 18. Legatur etiam VAN DER PALM, *Leerrede over Luc.* IX: 24ª, IIe dl. *Redev.* p. 297 sq.

simul possit conservari.» Quod qui fecerit, ejus factum referri debet ad illud mortis voluntariae genus, de quo diximus supra ut laudabili omnique aevo celebrato.

Neque praetermittendus est locus Math. XVIII: 8, quo mirifice abusi sunt, qui αὐτοχειρίας defensionem in se susceperunt. Verba sunt eadem, quae legimus Math. X: 29, 30. ROBECCIUS (1) suo more con-

(1) l. l. p. 93, ubi FUNCCIUS annotavit. « omnia Servator nos « jubet amovere scandala, atque adeo istorum omnes evitare vel « praescindere occasiones, etiamsi nobis ita essent charae, ac ipsa « corporis membra, manus, pes, oculus. Haec vero innocentissima et « necessaria divinitus homini adornando data corporis membra, ne- « mini umquam scandalo; ergo etiam non abscindenda vel eruenda « fuerunt. Sanctissimus et sapientissimus autem mundi Servator lo- « cutione utitur proverbiali, sicut *Math.* VI: 3, suis vero studium « commendat quovis modo evitandi peccata et sequentem inde dam- « nationem aeternam. Amplificatio est ab inusitato desumta, cuique « maxima cura conandum esse pervenire in vitam aeternam, atque « adeo scandala quaecunque vitanda fore, ut, si propria corporis « etiam membra partesque tui carissimae te impedirent, esse potius « abjiciendae viderentur: et rationes adduntur e comparatione ma- « lorum, quorum majus fugiendum magis, ac minora redimendum « esset.»

Sed eodem modo, quo ROBECCIUS, argumentatus est fere ROUSSAVIUS, Ep. laud. quem refutans Nob. DE STAËL HOLSTEIN locum sic explicuit: « ce que l'Evangile dit, s'applique à la tentation et non « au suicide; mais néanmoins on peut y puiser la réfutation de l'ar- « gument de ROUSSEAU. Il est permis à l'homme de chercher à se « guérir de tous les genres de maux: mais ce qui est interdit, c'est « de détruire son être, c'est-à-dire, la puissance qu'il a reçue de « choisir entre le bien et le mal. Il existe par cette puissance; il « doit renaître par elle, et tout est subordonné à ce principe d'ac- « tion, auquel se rapporte en entier l'exercice de la liberté.»

cludit « si nobis liceat membra corporis utilissima « et valde necessaria, cum sint scandalo vel offen- « sioni, cum animae, virtuti, saluti sint impedi- « mento et noxae, abscindere, eruere, projicere; « parem ob causam licere, profundere sanguinem et « vitam. » Atqui bene tenendum, quid JESUS sibi vo- luerit hisce verbis: « Εἰ δὲ ἡ χεὶρ σου, ἢ ὁ πούς σου « σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτὰ, καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. « Καλόν σοι ἐστὶν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλ- « λὸν, ἢ δύο χεῖρας ἢ δύο πόδας ἔχοντα, βληθῆναι εἰς τὸ « πῦρ τὸ αἰώνιον. » Haec proprie non esse accipienda, patet e serie orationis: constat enim Hebraeos cupiditates et libidines comparare cum corporis membris, unde sensum sic exprimamus, necesse videtur: *Cupiditates, si quidem vitam aeternam consequi velitis, summo studio coërcete; quin imo melius est, ea ipsa, quae offendant,* (quae in peccatum rapiant) *projicere, quam, iis servatis, gravissimas in vita futura luere poenas.* Is autem, qui hoc loco se induci patiatur, ut proprio sensu membra sua abscindat vitamque sibi adimat, tantum abest, ut rem Deo gratam sit facturus, ut jure meritoque delirare dicatur. Nam *diserte* Jesus dixit, praestare, corporis membrum amittere, quam integro corpore, perdere nostram salutem, — quae ita a corpore pendere videtur, ut hoc mutilari possit, non exstingui. Quare optime GROTIUS: « *Expedit enim tibi unum membrorum tibi perire, ne totum corpus projiciatur in Gehennam.* Quod ad sensum, idem monet « a majori sumtum esse argumentum: vel ca-

«rissima corporis membra praecidenda essent ut evi-«taretur aeternum exitium, cum mortis in hoc se-«culo vitandae causa id ipsum fieri soleat: quanto «magis abjiciendae sunt a nobis cogitationes minus «rectae, quas aliorum improbitas suggerit.» Summa igitur hujus praecepti est, *vitanda esse pravarum cupiditatum alimenta.* Illas tamen cupiditates necessarias esse, ut homines suam ostendant virtutem, patet ex Math. XVIII: 7, *ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα.*

Sed plenus est ROBECCII liber talium nugarum, quae indignationem movent. Quis v. c. credat, Paulum Philip. IV: 4, cum scriberet *χαίρετε ἐν Κυρίῳ πάντοτε· πάλιν ἐρῶ, χαίρετε·* ejus bilem adeo movere potuisse, ut annotaret. (1) «*Gaudete in Domino «semper.* Scilicet beatus eris et gaudebis semper, «si invitissimus stupra ac tormenta quaevis pati co-«garis, nec liceat parato cupientique facilem et «honestam mortem eligere.» Neque est quod mireris insaniam hujus viri, qui praeceptum saluberrimum religionis Christianae Eph. V: 15, 16, 17. *Βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε· μὴ ὡς ἄσοφοι ἀλλ' ὡς σοφοί· Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι. Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου* ita pervertit, ut, in auxilium vocato Ecclesiastae loco, *qui amat periculum, peribit in illo,* (2) hanc addat explicationem: «atqui is non ambulat caute, non est

(1) L. l. p. 100. (2) L. l. p. 73 sq.

«sapiens, non observat tempus, non redimit occa-«sionem; is amat quodammodo periculum ideoque «in illo peribit, uti multi perierunt; is, inquam; «qui instantibus periculis et malis majoribus quam «ut ea fortiter tolerare queat, iis se non caute sub-«trahit, prudenter et opportune occupando mor-«tem, dum alia melior tutiorque non suppetit ratio «evadendi.»

At cur diutius moremur ROBECCII monstruosa cogitata? cur tempus et operam perdamus exponendis et refutandis ineptiis? Satius est quaerere, ex quibus locis aliis N. T. lex quaedam huc pertinens colligi vel possit vel soleat.

Interdicto prohiberi, ne quis sibi mortem ipse consciscat, in ep. ad Rom. XIV: 7-9, statuerunt (1) REINHARDUS, STÄUDLINUS, alii, sed eum locum in contrariam adeo sententiam flecti et ad defendendam αὐτοχειρίαν adhiberi posse monuit J. D. MICHAËLIS. (2) Nos videamus, quid Pauli verba contineant. Controversia mota erat de abstinentiâ quorumdam ciborum, de praeferendis certis quibusdam diebus et id genus aliis ad legis Mosaicae observationem pertinentibus. Lectores igitur admonet Apostolus, ne offendant se invicem, neque acerbius judicent de aliorum pio sensu aut libertate circa res sacras, sed studeant potius, ut de sua quisque animi sententia certus fiat: quaecunque homines Christiani faciant,

(1) P. 425. I. B. *Christ. Moral.* 1823.

(2) *Moral.* p. 43, tom. II.

non propter sese facere, sed in gratiam et obsequium Domini singulos judicaturi; hominem jam pro suo arbitratu vivere moriqué non posse, sed rationem vitae et mortis redditurum olim esse Domino. Οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ, καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει. Ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ Κυρίῳ ζῶμεν· ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν. Ἐάν τε οὖν ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τοῦ Κυρίου ἐσμέν. *Nemo enim nostrum* (qui Christiani sumus) *sibi vivit, nemo item sibi moritur; sive enim vivamus, Domino vivimus, sive moriamur, Domino moriamur: ergo sive vivamus sive moriamur, sumus Domini.* Optime GROTIUS ad h. l.: «id est, «Christo, qui nos suos fecit, et vitam, et vitae omnia, «et ipsam mortem consecrare debemus, et parati su«mus. Nonne hoc tantum est, ut propter haec le«vicula dissimulari debeant? — Servorum nihil est «proprium, omnia sunt Domini. Nos servi Christi «sumus, empti summo pretio, ipsius sanguine.» — Paulus igitur, principio quodam constituto *nos esse in potestate Domini,* nosque in vita et morte pendere a Domino, recte argumentationem concludit: ergo et nostrae actiones pendent a Domino, ejusque voluntati, interprete conscientiâ nostra, subjici debent. — Qui vero ad hanc legem divinam composuerit vitam suam, aliorum judicio exemtus est. Quare unusquisque agat ex monitis conscientiae suae, et ita agat, ut omnia in honorem Domini faciat, qui solus est actionum nostrarum judex legitimus: propterea enim ille mortuus est et surrexit, ut fieret omnium

Dominus. Hunc sensum commendant quae sequuntur, fitque totius argumentationis conclusio v. 12 his verbis ἄρα οὖν ἕκαστος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον δώσει τῷ Θεῷ. Haec omnia igitur quis ad αὐτοχειρίαν trahat, ut tanti sceleris damnationem inveniat? Praeclare (1) *Morus* «Ac necessitudo quidem hominum cum Deo his verbis «expressa est; neminem sibi vivere et mori, sed vivos «Domino vivere, morientes eidem mori. His autem «verbis hoc loco non docetur, quod vivamus et «quamdiu quisque vivat, aut quam praemature vel «mature quis obeat, id deberi Deo, ab eoque pen«dere. Quorsum enim hoc loco de providentia di«vina, initium et finem humanae vitae moderante, «sermo sit, e qua doctrina nihil magnopere concludi «possit, neque ad judicium de libertate Christianâ «in alimentorum usu, de qua tamen unice dicitur, «neque ad ejus defensionem, neque ad lenitatem in «ferendis aliis, qui secus sentiunt et agunt? Sed «*Domino vivere* dicimur eo sensu, quo illi ita sub«esse dicimur, ab eo ita pendere, ut ejus legem, «consilia, instituta faciamus normam statuendi agen«dique. *Domino mori* dicimur eo sensu, quod nos «mortuos ita judicabit tractabitque prouti normam «illam vel tenuimus vel negleximus. Spectatur ergo «vita, qua officiis constat, eamque olim judicium «sequetur; mors vero, qua est initium conditionis «post hanc vitam, praemia accipientis in utramque

(1) Vid. *Diss. Theol. et Philol.* I. p. 232. Ejusdemque Praelectiones in *Ep. ad Rom.* p. 204, et KOPPE ad h. l. Legatur etiam praestantissimi C. FRANSEN VAN ECK, *tiental Leerr.* 1831, p. 57. sq.

«partem: non spectatur mors et vita, quae sunt in «spirando, movendo, sentiendo, aut in fine horum «omnium; et quaeritur, qua ratione et quem vivi «colamus, a quo mortui praemium exspectemus; non «quaeritur, quis nos et quando vivere morique jubeat. «Itaque nemo sibi vivit hoc sensu, quia nemo suam «unius sententiam, suum judicium, sua studia con«siliaque suo arbitratu sequi potest, neque ipse con«stituere, quid probum improbumve sit, et quid, et «quomodo, quare agere velit et recte agat. Nemo «rursus sibi moritur hoc sensu, quia tum, cum mo«ritur, definire nullo pacto potest, quam post dis«cessum ex hac vita sortem habere velit, aut quid «illi prodesse debeat, sic potissimum vixisse. Ut Do«minus normam agendi definivit, ita lex praemiorum «ab eodem finita est. Utrumque ab illo pendet.»

Sed haec hactenus, neque meliorem hujus loci interpretationem video: nam τῷ Κυρίῳ ζῆν hanc habere notionem, *non sibi suisque consiliis vivere, non suum esse, sed Domini esse, Dominum in omnibus, quaecunque agimus, respicere, Domino totam vitam suam consecrare*, omnibus, credo, manifestum est. Fortasse tamen illud τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκειν significat *in honorem Domini mori* ob formulae oppositae potestatem: sit ita, sed consideremus nexum cum antecedentibus et sequentibus. Argumentum totius loci, cui confirmando reliqua dicta videntur, est hoc *judicare de aliorum cogitandi agendique normâ.*

In universum igitur docetur necessitudo hominum

cum Christo, quae tam late patet, ut pendeamus ab eo et viventes et mortui. Analogiâ efficitur id, si a Christo pendeamus in vitâ et morte, illum esse Dominum vitae et mortis: nostrum ergo non est decernere de vita aut morte, neque aufugere licet pro nostro arbitratu, sed obediendum Domino illi, cujus servi sumus. Atque sic ex hoc loco plura duci facile largior; quae qui faciunt, hoc fere pacto illi argumentantur. Si nemini mandatur se interimere, si porro nemini in vitam suam jus conceditur, consequitur, exspectandum esse, donec invitis nobis, et frustra nos tueri, vel fugiendo (si honeste fieri potest) periculum evadere conantibus vita ab scelestis hominibus eripiatur. Verbo: nec renuendum esse, ubi flagitat religionis causa et honor vel similis quaedam ratio, mori: nec mortem, pro arbitrio, oppetendam, quaerendam, consciscendam; quippe quam rem Deus in sua unius retinuit potestate, qui unus Ps. XC: 3. dicere potest: «redi homo eo, unde *ego* te extraxi.»

Quid igitur hic locus ad quaestionem? quantum video, non multum, nisi quod per analogiam et consecutiones aliquis inde effecerit; sed eodem jure provocare licebit ad magnam copiam aliorum locorum, ubi nostra ab ipso Deo dependentia distinctis verbis pronuntiatur. Possit aliquis analogiâ contentus ad rem adhibere locum Matth. XIX: 6. ubi Jesus ad propositam quaestionem, liceatne marito uxorem repudiare an non liceat, respondit, homini non licere, quod a Deo conjunctum sit, separare: nam pariter Deus in

homine conjunxit animum cum corpore: hanc conjunctionem rumpere nobis minime licet, qui enim conjunxit, Deus est, ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

Idem fere, quod de loco ad Rom. indicavi, valere videtur de Paulinis aliis huc referri solitis I Cor. III: 16. VI: 19. et II: 6, 16. In quibus omnibus homines Christiani appellantur ναὸς Θεοῦ; quare eos Apostolus monet, ne illud templum corrumpant. Quod ad primum locum, manifestum est sic totum nominari coetum Corinthiacum, quem ne perdant dissidiis, Apostolus hortatur idoneis argumentis. Nam εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός. Eodem principio utitur Paulus VI: 19, quo damnat πορνείαν; sic enim argumentatur, ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου Πνεύματός ἐστιν, οὗ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ, καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν; ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς· δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν.

Quodsi ergo non licet scortari propter praestantiam corpori tribuendam, quippe Dei templo, non magis licet, eodem principio adhibito, totum interficere corpus, quia non nostri ipsorum sumus, sed Dei, Domini summi, per Christum Jesum. Et hoc modo recte adhibetur pulcherrimus Pauli locus; est enim idem principium, quo constituto, ex indole religionis Christianae prohibetur αὐτοχειρία. Unusquisque tamen mihi concedet, nos argumentari sic posse, sed Apostolum de facinore, quo nobis ipsi adimamus vitam, non cogitasse, et tantum contra πορνείαν dicere, cui peccato

Corinthiaci dediti fuisse videntur. Neque igitur hic locus valere potest tamquam praeceptum vetans αὐτοχειρίαν.

Locis, de quibus disputatum est, alium quoque adiungunt Paulinum Ephes. V: 29: neque tamen hic aliter est accipiendus. Etenim Apostolus non data opera docet, neminem umquam ipsius odisse carnem, sed hoc citat principium universale, οὐδεὶς ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν, quo Christi amorem conferat; hinc argumentatur sic et Christum amare Ecclesiam, ut partem sui ipsius, viroque oportere amore prosequi uxores. Quid ergo Paulus? sua auctoritate id confirmavit, quod unicuique innatum est, unumquemque diligere se ipsum. Sed ex eodem principio argumentum duci posse, quo damnetur αὐτοχειρία, jamdudum haud pauci monuerunt. Quod negandum profecto non est: nam ex Apostoli dicto non minus tale quid profluat necesse videtur, quam v. c. ex verbis, quibus SENECA Epistolam XIV incipit «*Fateor insitam esse nobis corporis nostri caritatem.*»

Neque praetermittendus videtur Apoc. II: 10. Γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. Hic θάνατος statuitur tamquam terminus extra nostram potestatem positus, ut meta in cursu. Nobis non licet terminum illum ponere; nam si liceret finem facere pro nostra voluntate, hoc certe praeceptum nullius esset pretii neque promissio valeret ad excitandam obedientiam, patientiam et magnitudinem animi. Expositis jam omnibus locis, quae

vidimus ab aliis allata, quaeque, quod ad principium, improbant *αὐτοχειρίαν*; etiam monendum est obiter de sensu verborum Pauli Act. XVI: 28. *Μηδὲν πράξῃς σεαυτῷ κακόν.* Carceris custos, januas videns apertas, statim aufugisse captivos, in his Paulum Silamque suspicatus, imminentis poenae dirissimae metu perculsus, jam in eo erat, ut gladio se ipse poteret; cum Paulus, intellecto hominis proposito «*ne tibi ipse noceas*» magna ipsi voce acclamavit, *non aufugimus*, *ἅπαντες γὰρ ἐσμεν ἐνθάδε.* Errant igitur, qui his verbis tribuunt significationem peccati gravis «*noli peccare contra te ipsum.*» Nam loquendi usum si animadvertamus, videmus illam formulam (1) *πράττειν τινι κακῶς* s. *κακὸν* nihil aliud sonare praeter unum *male facere alicui;* ubi *ἑαυτῷ* pro *τινι* ponitur, *sibi male facere*, i. e. *vim sibi inferre.* Negandum omnino non est, propriam significationem esse, *male agere* atque hinc *peccare*, ut forma sit contraria *τῷ ἀγαθὸν πράττειν*, quae tamen significatio hoc loco vim non exserit. At actionem prohibet Paulus? certe, magno quidem studio et conatu. Rem malam igitur habet, illamque non excusandam? certissime, nam quis mortem non avertat, si possit, pro malo eam habens; attamen hoc loco non efficitur, *αὐτοχειρίαν* damnatam esse verbis Apostoli cujusdam.

In N. T. unum tantum memoratur exemplum hujus sceleris, scilicet Judae Iscariothae proditoris, de quo

(1) Cf. SCHLEUSNER in voce, et VIGERUS (ed HERM.) p. 289.

quid statuendum sit, praeeuntibus viris doctis, breviter videamus.

Constat jam inter eos, qui historiae Euangelicae fidem non denegant, Judam cum Jesum Christum capitis damnatum audivisset, ad summam desperationem fuisse redactum et sponte vitam (1) finiisse. (Matth. XXVII: 5). Sed quid Petrus, non contradicentibus caeteris Apostolis, voluerit, cum diceret (Act. I: 25), eum παρευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, quaestio videtur nondum ab omni parte soluta. Multis placuit τὸν τόπον τὸν ἴδιον locum quemdam Gehennae intelligere, hoc sensu, *Judam desertorem stationis suae abiisse in constitutum sibi locum damnatorum* (2). Mihi tamen haec interpretatio non omnino certa videtur: nam ἴδιον τόπον esse *locum constitutum*, effici non videtur ex I Macc. I: 8. ἕκαστος ἐν τῷ τόπῳ αὐτοῦ, ubi paulo ante commemoratur regni divisio vs. 6. καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἔτι ζῶντος αὐτοῦ. Nec patet ex *Euseb.* hist. Eccl. III. c. 36: εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον, quod dicitur de *loco quasi debito*. Indicat ἴδιος potius id, quod

(1) De Judae mortis genere multum disputatur. Vid. KUINOEL in h. l. Certum tamen est, Judam se ipsum occidisse, utrum hoc fecerit laqueo an alio modo nihil ad quaestionem nostram: narrationes Matthaei et Lucae facile componi possunt, si modo assumamus, Judam laqueo se suspendisse, eoque rupto ex loco altiore pronum cecidisse, ut, diffisso corpore, viscera effunderentur.

(2) Praeter interpretes, quos citavit KUINOEL, ad Act. I. 25, vid. cl. VAN HENGEL, *annot.* etc. p. 91. GROTIUS *proprium* (ἴδιον) explicat, i. e. « qui ipsi melius conveniebat, quam Apostolica functio; neque aliam lectionem improbat τὸν δίκαιον (*Justum*).

jam transiit in nostram potestatem, v. c. domus, patria, fundus. Mallem conferri Joh. XVI: 32. ἔρχεται ἄρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν, ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια scilicet ἀκήρατα; ut sensus sit, *abiit Judas, relicta statione Apostolica, quo ipse destinaverat, sive quo ei abeundum erat.* Sed si vel maxime concedam, indicari locum divinitus ei assignatum, sententia tamen Petri, si condemnatoria sit, minime spectat unicum illud facinus, quo vitam finivit, sed omne scelus, perfidiam, qua divinum magistrum prodidit, et quae huic perfidiae fuerunt conjunctissima. Simul admirari debemus Apostoli humanitatem, qui tantum abest, ut Judae atrocia facinora diris exsecretur, ut lenissimis verbis loci nescio cujus mentionem faciat, quo ille abierit.

Multum igitur a probabilitate abhorret eorum opinio, qui ex dicto Petrino colligunt, certum quemdam locum in Judaeorum orco destinatum iis esse, qui necem sibi sponte intulerunt. Relinquatur hoc genus philosophandi profanis scriptoribus, ex quibus VIRGILIUS ita canit (1):

« Proxima deinde tenent moesti loca, qui sibi letum
« Insontes peperere manu, lucemque perosi
« Projecere animas. Quam vellent aethere in alto
« Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
« Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
« Adligat, et novies Styx interfusa coërcet. »

Quamquam igitur longissime abest, ut putem Apostolos αὐτοχειρίαν reputasse pro re levi aut medi-

(1) Aen. VI. vs. 434.

nusquam tamen planis verbis illi pronuntiarunt, quae aut quales poenae divinitus decretae sint in homines suae vitae infestos.

Jam si *αὐτοχειρία* in Codice Sacro non improbatur diserto aliquo praecepto vel evidenti quadam argumentatione, aliae viae nobis ineundae sunt, quibus ad exoptatam metam perveniamus. Sed priusquam hoc tentemus, juvabit respondisse ad conjunctissimam quaestionem.

§. 2. *Quare Codex S. taceat de αὐτοχειρίᾳ.*

Operae pretium sane est, causas investigare, cur gravissima illa Theologiae moralis disquisitio, quae est de *αὐτοχειρίᾳ*, a Scriptoribus Sacris silentio praetermissa sit. Videor ego mihi tres invenisse, primum *ipsam hominis naturam*, deinde *vulgarem illorum temporum opinionem*, denique *religionis nostrae indolem* aut potius *praestantiam*.

Primo loco posui *ipsam hominis naturam*, nam se ipsum interficere, est actio manifeste repugnans naturae, quae sui conservatrix id habet propositum, ut sese tueatur, atque in optimo quoque statu custodiat. Proinde omnia animantia a nullâ re magis abhorrent quam a morte, dissolutionemque sui quae possunt omni modo fugiunt. Adeo naturâ insitus est unicuique amor sui, ut se magis amet vel certe non minus amet quam alios. Hinc instinctu quodam nocitura avertit, pericula declinat, injuriam repellit, et ab hostium impetu quamdiu potest, se defendit. Neque id discitur ab ali-

quo magistro sed peragitur ab unoquoque vi interna, quae hoc tendit, ut non solum quae necessaria sunt ad vitam sustentandam comparentur, verum etiam, quae ad augendam eam suavioremque reddendam valent, vehementissime appetantur. Non indiget demonstratione res, cujus omnes sibi conscii sunt: tantum satis est admonere. Audiamus tamen philosophorum sententias, interprete cicerone (1): «omne animal se «ipsum diligit, ac simul ut ortum est, id agit, ut se «conservet, quod hoc ei primus ad omnem vitam «tuendam appetitus a naturâ datur, se ut conser«vet, atque ita sit affectum, ut optime secundum «naturam effectum esse possit.» Hoc dictum est de omnibus animantibus, nam «qui potest intelligi aut «cogitari esse aliquod animal, quod se oderit? res «enim concurrent contrariae.» Omnes vero dissolutionem naturae perhorrescunt «quod satis argumenti «est, ab interitu naturam abhorrere. — Nec vero dico «eorum metum mortis, qui quia privari se vitae «bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem «formidines extimescant, aut si metuant, ne cum «dolore moriantur, idcirco mortem fugiant: in parvis «enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his «ludentes minamur praecipitaturos alicunde, exti«mescunt. Quin etiam ferae — sibi injecto terrore «mortis horrescunt. — Maxime autem in hoc qui«dem genere vis est perspicua naturae, cum et men«dicitatem multi perpetiantur, ut vivant; et angantur

(1) Fin. V. 9 sq.

«appropinquatione mortis confecti homines senec-
«tute.»

Hinc etiam nimium illud vitae desiderium, quod SENECA (1) turpissimum vocat Maecenatis votum:

«Debilem facito manu,
«Debilem pede, coxa;
«Tuber adstrue gibberum,
«Lubricos quate dentes.
«*Vita dum superest, bene est.*
«Hanc mihi, vel acuta
«Si sedeam cruce, sustine.»

Atque hoc studium, quo quisque se diligit maxime, tam late patet in iis, quae ad corpus pertinent, ut, si pars quaedam prava sit aut debilitata noceatque reliquis partibus aut minetur vitae periculum, multos dolores curationis causa perferamus, imo eam partem, quo reliquum corpus et vita conservetur, si vel cum summo dolore fiat, amputandam tradamus. Tanto vitae amore si ducitur homo, necesse est, eum, qui se ipse interficiat, sibi suaeque naturae violentam vim inferre. Hominibus igitur non opus erat praeceptis *αὐτοχειρίαν* vetantibus: nam sibi lex est uniuscujusque natura, illa scilicet ratio, quae originem a Deo ipso repetit, ad jubendum et ad deterrendum idonea, vim habens ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi. Quae recta ratio, monente TULLIO (2), non «tum denique incipit lex esse, cum scripta est, «sed tum, cum orta est.» Hinc praeclare idem Ro-

(1) Ep. 101. (2) De Leg. II. 4.

manorum orator facile princeps (1): *Est haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* At fieri tamen potest, ut evertant suam ipsi naturam, et reperti reapse sunt, qui aut laqueos aut alia exitia quaererent. Sed et horum eadem est indoles, ut sibi quisque carus sit; quare *non esse* malunt, quam dies noctesque torqueri. Hinc ROBECCIUS (2) putat: «manifeste consequi, mortem voluntariam in gravissimis «praesertim malis, naturae hominis, a Deo conditae, «exactissime congruere adeoque licitam saltem permissamque esse?». Sed absit ut huic assentiamur; nam ex eo, quod homo ita a Deo factus est, ut se ipse nihil habeat carius, nulla ratione effici potest, ut is, qui se amet, se ipse perdere velit. Rectius autem FUNCCIUS «atque hinc certissima conclusio, si «Deus hominem ita fecit, ut nihil carius habeat se «ipso: sequitur necessario, quod, quae necessaria et «commoda videntur esse ad vitam conservandam, acquirere studeat, quae vitae sunt noxia et adversa, «fugiat quocunque modo et amoliatur.» Nullum vero animal, quod SENECA jam monuit, se occidit ipsum: igitur et in eo animalibus brutis praestat homo, quod se interficere *potest*, eo ipso, quod facultatem habet, omittendi, quae mala, faciendique, quae bona sunt; quocirca Antonius Genuensis (3) hunc in modum lo-

(1) Pro MILONE, c. 4. (2) P. 267. l. 1.
(3) Metaph. IV. p. 178.

quitur «qua in re (absit verbo invidia) servantiores «naturae legis sunt brutae animantes, quam homines «plerique. Siquidem earum nulla, quod sciam, sibi «mortem consciscere audeat. At homines, quasi sub-«limiori loco nati, id sibi praetendunt privilegii, ut «et vitam odisse liceat et animas projicere.» Objecerit aliquis: *esto, ut is, qui mortem sibi consciscat, contra naturam agat; at id ipsum, quod contra naturam agere* POTEST, *praeceptum requireret hujusmodi: tu contra naturam ne agito.* Sic ajunt quidem, nec tamen, quare necessario requiratur, evidenter ostendunt.

Praeterea illud etiam consideremus, peccata prope omnia utilitatis aut voluptatis causa committi. Utilitatem omnes expetimus, cui qui immodice studet, facile pervertit fundamenta humanae societatis. Voluptatem omnes affectamus, ut satisfaciamus flagranti desiderio, nec aliter nos agere posse contendimus. Sed peccare solemus non peccandi gratia: quis enim verum bonum putavit peccatum? peccamus potius, ut aliqua inde ad nos utilitas aut jucunditas redundet, cui solicitationi quam difficile est resistere! Hinc reliqua peccata omnia aliquatenus dici possunt *non reluctante natura committi:* id quod de αὐτοχειρίᾳ non valet. Consideremus item, quid Sacra Scriptura praecipiat de iis, quae fiunt duce nostra ipsorum natura, et quae ex innato quodam manant principio, quod dicimus. Prudentissime scilicet illa versatur in ejusmodi rebus aut impetandis aut vetandis. Temperat enim naturae impetum suisque circumscribit idoneis

terminis, ne aut exstinguatur aut nimium effervescat. Exempli gratiâ: omnibus hoc innatum est, ut generis sui propagandi *cupidine* ducantur et ad procreandam sobolem ferantur animi corporisque quodam instinctu et impulsu: ille conjunctionis appetitus procreandi causâ est fundamentum matrimonii; id igitur a naturâ nobis proponitur, vel si qui mavult, imponitur. Quid autem Codex Sacer? an praecipit matrimonium? negandum hoc profecto. — Cur igitur non praecipit? quia id, quod instinctu nobis infixum est, expresso verbis praecepto facile carebat, nec demum a Deo per legatos suos hominibus imperandum erat. Quid igitur hac in re faciunt Scriptores Sacri? Id illi agunt, ut aequis legibus regant insitum generandi desiderium, ne libido pessime evagetur aut effundatur, (I Cor. VII: 4) vetantque, nisi justa causa adsit, conjugium solvi. Num igitur mancam dicemus Ethicam Christianam, quae non praeceperit, quod natura nobis commendet, suadeatque non tantum sed etiam facile persuadeat? Idem fere statuendum est de *αὐτοχειρίᾳ*, quam Jesus et Apostoli haudquaquam ut rem in libero arbitrio positam vel mediam (*ἀδιάφορον*) considerarunt. Ipse quidem sanctissimus Servator, cum apud Matth. XIX: 19 praecipit *ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν*· amorem nostri normam esse voluit, ad quam nos caritatem, pietatem, amorem erga alios et exigamus et conformemus; cui loco congruit alter ille in Ep. ad Gal. VI: 14. Paulus vero, probe perspiciens, quantopere unusquisque se ipse diligat naturae impulsu, in commendandâ corporis curâ praecipit,

ne quid nimis, ut Rom. XIII: 14. *τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας.* et I Thess. IV: 4. *Εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ, μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας.*

Sed memorabile videtur, eundem Apostolum in loco insigni unum tantum ponere peccatum, quod fiat in corpus nostrum, cum reliqua sint extra illud: I Cor. VI: 18, *πᾶν ἁμάρτημα ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος, ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν· ὁ δὲ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει.* Verum quomodo gravius potest in corpus peccari quam illud totum exstinguendo? Hoc tamen non memorat Apostolus; an igitur *αὐτοχειρίαν* non annumeravit peccatis? Id si statuas, non multum a vero abesse mihi videris: nam quae voluntas esset aut quaenam utilitas in se interficiendo? et quis se occidat? Illi enim, qui hoc fecerunt, quorumque mentio fit in Codice Sacro, sceleribus obruti jam antea reliquerant Deum, et ad desperationem compulsi naturae suae vocem pessime neglexerant. Quod enim infixum est naturae, id, non debet praecipi, ut recte monet Schellingius. (1) Conferri quodammodo possunt, quae Paulus dixit de mutuo amore fraterno I Thess.

(1) « Es existirt », inquit, « kein Gebot, kein Imperativ der Glück-« seligkeit. Es ist widersinnisch, einen solchen zu denken, denn « was von selbst, d. h. nach einem Naturgesetz geschieht, braucht « nicht geboten zu werden. Jener Glückseligkeitstrieb (der natür-« lich auch den Lebenstrieb enthält) ist nichts anders, als die dem « Ich wieder objectiv gewordene objective, auf ein vom Wollen « unabhängiges gehende Thätigkeit, ein Trieb, der also so noth-« wendig ist, als das Bewusstseyn der Freyheit selbst. »

(*System des Transsc. Idealism.* p. 398).

IV: 9, περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας, οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν· αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους.

Haud facile haec perpenderit aliquis attentius, quin sponte ei in mentem veniat, leges morales esse leges rationis. Sed et ratio omnibus hominibus communis est. Ex quo appareat necesse est, ac hominis quidem naturae sublimiori congruere legem quandam, qua αὐτοχαιρία vetetur. Nam leges universe omnibus scribuntur, singulos obligant. Itaque quod uni licet, liceat idem et omnibus. Neque temere haec dicuntur, cum omnes omnino sapientes id semper ratum habuerint, ubi de natura rationali, quae homini est, agendum erat. Illud quidem generale in statuendis vitae civilis et domesticae ordinibus, pactis, conditionibus restringitur ad singulos, ut alia sint regis officia, patrisfamilias alia; quae tamen extenduntur ad omnes reges omnesque patres et sic porro. Igitur si uni homini liceret, ubi ipsi ita videretur, e vita decedere, id continuo liceret omnibus hominibus: nam nulla ratio excogitari potest satis idonea, qua probetur, eam potestatem in singulorum potius, quam in universorum positam esse arbitrio. Itaque lex necessario universalis scribenda erat haec: «*Quisquis putet sibi exeundum esse, ipsi integrum est et liberum exire.*». Qua lege conditâ, sustuleris cunctos homines, quod quam absurdum sit ab omnique recta ratione alienum, res ipsa declarat. Atqui perpendamus quoque, quae inde sint consecutura, quid de societate, quid de quavis civitate sit exspectandum; quid spe-

randum cujusque vitae, hujus usui, bono publico, privato, parentum decrepitorum, liberorum: quid, ubi ingruant corporis dolores, animi curae et angores et aes alienum, quo exire non possumus. Optime quidem ab hac parte generi humano consuluit Deus O. M. cum amorem vitae adeo ardere vellet, ut omnes suapte natura a dissolutione abhorrerent quam maxime. — Itaque illi, qui legem quaerat, haec ipsa natura sit lex: neque alia est lata neque ferri umquam debebit.

Deinde videndum est, quoniam et hac in re causam illius silentii posuimus, quae fuerit *Vulgaris illorum temporum opinio de scelere αὐτοχειρίας, deque iis, qui se interfecerint aliquando.* Ordiamur ab Judaeis. In eorum libris historicis memorantur aliquot exempla, sed judicium de ipso facto raro adjungitur: hinc igitur fit, ut quae fuerit pervulgata opinio non statim ab omni parte appareat. Singularis fuit mors Senatoris cujusdam Hierosolymitani, cui nomen RAZIS (1). Is enim turre quadam inclusus, quum aufugere non posset et timeret, ne ab hostibus captus contumeliis afficeretur, in gladium incubuit, tum vulnere parum recte inflicto de muro sese praecipitavit, quin disrupta intestina ambobus comprehensa manibus in turbam projecit, et miserrime exspiravit. Generosum vocat id facinus, qui literis mandavit: ὑπέθηκεν, inquit, ἑαυτῷ τὸ ξίφος, εὐγενῶς θέλων ἀπεθανεῖν, ἤπερ πρὸς ἀλιτηρίους ὑποχείριος γενέσθαι καὶ τῆς ἰδίας εὐγενείας

(1) II. *Macc.* XIV 37—46.

ἀνάξιως ὑβριστοῦνται, et paucis interjectis, ἀναδραμὼν γενναίως ἐπὶ τὸ τεῖχος, κατεκρημνισεν ἑαυτὸν ἐνδρείως εἰς τοὺς ὄχλους, tandemque ἐπικαλεσάμενος τὸν δεσπότην τῆς ζωῆς καὶ τοῦ πνεύματος, ταῦτα αὐτῷ πάλιν ἀποδοῦναι, τόνδε τὸν τρόπον μετήλλαξεν. Hoc igitur factum quodammodo laudari a scriptore, non miramur: nam ille RAZIS qualis vir! ἀνὴρ φιλόπολίτης dicitur vs. 37, καὶ σφόδρα καλῶς ἀκούων, καὶ κατὰ τὴν εὔνοιαν Πατὴρ τῶν Ἰουδαίων προσαγορευόμενος. et vs. 38, σῶμα καὶ ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ παραβεβλημένος μετὰ πάσης ἐκτενείας. Accedit etiam ad hujus viri praestantiam, quod colligitur ex vs. 40, ἔδοξε (Nicanor) ἐκεῖνον συλλαβὼν, τούτοις (Judaeis) ἐργάσασθαι συμφοράν. — Sed ut significavi, adeo singularis est ille casus, ut inde non discamus, quid Judaei eorum temporum vulgo de αὐτοχειρίᾳ opinati fuerint. Diversam sententiam colligas ex Joh. VIII: 22. Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν; pervertebant malitiose primores Judaeorum Jesu dictum ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν, ut per ironiam respondere viderentur hunc in modum: *si ipse sibi diras inferat manus, ut descendat in Gehennam, recte dicit, neminem fore, qui sequatur.* «Pergunt illi, ut Calvini verbis utar, non modo in securo contemtu, sed etiam in protervia.» Hinc nemo miretur, Jesum huic calumniae nihil regessisse, quod vel ad ipsius declarandam sententiam vel aequalium opinionem intelligendam valeret.

Evidentior est locus JOSEPHI B. Jud. L. III. c. VIII. 5, in oratione ad Jotapatenos. Prohibiturus ille suos

milites, ne se interficerent ipsi, plurimis utitur argumentis e ratione et Philosophiâ Platonicorum petitis, tandemque addit, communem Judaeorum sententiam ἔτοιμα δὲ καθ' ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων μὴν ἡδὺς δέχεται τὰς ψυχὰς σκοτιώτερος. Quoniam vero Judaei hostium crudelitatem ad insaniam usque metuebant, et suâ manu quam hostili cadere malebant, ista Josephi oratio adeo caruit optato effectu, ut Ducem, qui recusaret voluntariae mortis societatem, occidere instituerent. Aliam hic viam ingressus suasit ac persuasit illis mutuas caedes sortito faciendas, ex quibus ipse tandem cum uno milite fuit superstes. Patet ex hoc, longe melius illis visum, ut alter ab altero occideretur, quam sibi unusquisque violentas manus inferret ipse.

Discitur ab eodem scriptore, (1) Judaeos cadavera eorum, qui sibi mortem conscivissent, abjecisse insepulta. «Nec id mirum, inquit GROTIUS, (2) cum in «hos aliud supplicium constitui non possit, qui mor«tem pro supplicio non habent.» At idem Josephus (3) laudat Phasaelem, qui, cum mortem non timeret, sed eam per manus hostium inferendam existimaret turpissimam, in carcere se interficere ipse conatus est.

Ex his igitur Josephi verbis, nisi fallor, efficitur, αὐτοφονευτὰς manere ἡδὺν σκοτιώτερον: evitandam igitur esse αὐτοχειρίαν, etiamsi *verendum* sit, ne crudelius

(1) B. J. III. c. 25.
(2) De *Jure belli et pacis*, L. II. c. 19. § 5.
(3) *Archaeol.* 14, 13, 10. B. J. I. 13, 10.

tracteris, illudque eo magis, quo certius in bestium humanitate aliquid adhuc spei superesse videatur. Cum demum illam vel excusari posse vel laudari adeo, quam praesentissimum supplicium aliam nullam relinquat optionem necis, quam quae Socrati fuit et Senecae.

Sed haec de historicis; neque omittendus Philosophus, φιλόνομος dico, Alexandrinus, is, quod jure quodam mireris, laudat ac comprobat exempla αὐτοχειρίας, quae ipse narrat (1), neque abhorrebant tunc temporis Judaei ab hoc etiam, saltem malebant sibi mortem consciscere, quam deserere sacra paterna et perferre cruciatus vehementissimos. Verum non poenitebit ipsius orationem afferre, recitatam illam coram Petronio (2). Τίς δὲ χρεία στρατιᾶς; αὐτοὶ κατάρξομεν τῶν θυμάτων οἱ καλοὶ ἱερεῖς, παραστησάμενοι τῷ ἱερῷ γυναῖκας οἱ γυναικοκτόνοι, ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφὰς οἱ ἀδελφοκτόνοι, κούρας καὶ κόρους τὴν ἄκακον ἡλικίαν οἱ παιδοφόνται, ... Εἶτ' ἐν μέσοις στάντες καὶ λουσάμενοι τῷ συγγενικῷ αἵματι — ποιαῖτα γὰρ τὰ λουτρὰ τοῖς εἰς ᾅδου φαιδρυνομένοις — ἀνηκερασόμεθα τὸ ἴδιον ἐπικατασφάξαντες αὐτούς. Ἀποθανόντων τὸ ἐπίταγμα γινέσθω, 'μεμψαιτ' ἂν οὐδὲ θεὸς ἡμᾶς, ἀμφοτέρων στοχαζομένους, καὶ τῆς πρὸς τὸν αὐτοκράτορα εὐλαβείας, καὶ τῆς πρὸς τοὺς καθωσιωμένους νόμους ἀποδοχῆς. Γενήσεται δὲ τοῦτο, ἐὰν ὑπεκστῶμεν ἀβιώτου βίου καταφρονήσαντες.

Ex hactenus dictis intelligi puto, Judaeos αὐτοχειρίαν per se improbasse, sed laudasse aut potius ex-

(1) De *Execrat.* p. 430, op. tom. II. ed. Mangey.

(2) De *Virt.* et *Legat. ad Cajum*, p. 581.

causae in summo et eminenti, quin vix aut ne vix quidem effugiendo dirae necis, cruciatuum et horrendi supplicii periculo: maxime vero, ubi potius pro religione aut patria occumbendum cum gloria, quam illis proditis cum ignominia esset vivendum.

Satis est, quod diximus de Judaeis (1): veniamus ad Graecos. Communis opinio jam antiquitus rejecit *αὐτοχειρίαν*, ut apparet ex iis, quae HERODOTUS (2) narrat de Aristodemo «eum in pugnâ Plateensi *βουλόμενον φανερῶς ἀποθανεῖν ἐκ τῆς παρεούσης αἰτίης, λυσσῶντά τε καὶ ἐκλιπόντα τὴν τάξιν, ἔργα ἀποδέξασθαι μεγάλα.* Sed cum ceteri mortui *τίμιοι ἐγένοντο*, *Ἀριστόδημος δὲ, βουλόμενος ἀποθανεῖν διὰ τὴν προειρημένην αἰτίην οὐκ ἐτιμήθη.*»

Verumtamen ex historia patet, ne magnos quidem heroës, jam antiqua aetate, voluntariam mortem laudasse. Audiamus, quaeso, Cleomenem, Spartanorum Regem, illumque victum in pugnâ, cum Therycion amicus suaderet, ut sibi mortem ipsi consciscerent po-

(1) Animadvertendum est, quod scripsit DR. DE WETTE, l. c. p. 303: «Josephus Jüd. Krieg. III: 8, widerrieth seinen Freunden die mit ihm «in Jotapata eingeschlossen waren, den Selbstmord aus mehreren «Gründen, unter andern auch darum, weil die Selbstmörder ver«dammt würden. Hieraus, und weil wir hierbei lernen, dass man bei «den Juden die Selbstmörder bis an den Abend unbegraben liegen «liess, sieht man, dass sich die herrschende Meinung in diesem Volke «zuletzt dagegen entschieden hatte; *aber im A. T. liegt für diese «Ansicht kein Grund.*» Sed hac de re dubitare licet: quandoquidem perpendimus, neque Saulum, neque Achitophelem inter laudatos recenseri Deove probatos, neque Zimrium. Tacita condemnatio non semper aut nulla est aut perexigua. — Dum tacent, clamant.

(2) L. IX. c. 71.

tius, quam Antigono se traderent. Cui respondentem Cleomenem induxit Plutarchus (1) hisce verbis: Τῶν ἀνθρωπίνων τὸ ῥᾷστον, ὦ πονηρὲ, καὶ πᾶσιν ἑτοιμότατον διώκων, ἀποθανεῖν, ἀνδρεῖος εἶναι δοκεῖς, φεύγων αἰσχίονα φυγὴν τῆς πρότερον; πολεμίοις μὲν γὰρ ἐνέδωκαν ἤδη καὶ κρείττονες ἡμῶν, ἢ τύχῃ σφαλέντες, ἢ βιασθέντες ὑπὸ πλήθους. ὁ δὲ πρὸς πόνους καὶ ταλαιπωρίας, ἢ δόξας καὶ ψόγους ἀνθρώπων ἀπαγορεύων, ἡττᾶται τῆς ἑαυτοῦ μαλακίας. δεῖ γὰρ τὸν αὐθαίρετον θάνατον οὐ φυγὴν εἶναι πράξεων, ἀλλὰ πρᾶξιν. αἰσχρὸν γὰρ ζῆν μόνοις ἑαυτοῖς καὶ ἀποθνήσκειν· ἐφ' ὃ νῦν σὺ παρακαλεῖς ἡμᾶς, σπεύδων ἀπαλλαγῆναι τῶν παρόντων, καλὸν δ' οὐδὲν, οὐδὲ χρήσιμον, ἄλλο διαπραττόμενος. ἐγὼ δὲ καί σε καὶ ἐμαυτὸν οἴομαι δεῖν τὰς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἐλπίδας μὴ καταλιπεῖν· ὅπου δ' ἂν ἡμᾶς ἐκεῖναι καταλείπωσι, ῥᾷστα βουλομένοις ἀποθανεῖν ὑπάρξει.

Haec ille: Therycion abiit et ἔσφαξεν ἑαυτόν. Cleomenes in Aegyptum abductus tandem, narrante Plutarcho, omni libertatis recuperandae spe amissa, se quoque ipse interfecit. Contra vero illum a Ptolemaeo interfectum refert Justinus (XXVIII: 4).

Porro celebrata est lex, quam memorat AESCHINES (2) ἐάν τις αὐτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τοῦτο πράξασαν ἀποκόπτειν, καὶ χωρὶς τοῦ σώματος θάπτειν.

Notum quoque est, αὐτοφονευτῶν corporibus iisque nudis palam suspensis, Milesias Virgines a vo-

(1) Vita Cleom. c. 31.

(2) Cf. THYSII, *Collatio Attic. et Rom.* leg in GRONOVII *thes. Graec. antiq.* tom V. p. 1390. — HEGESIPP. L. III. c. 17.

luntaria morte absterritas et Cleomenis cadaver, qui se ipse interfecerat, Ptolemaei jussu suspensum esse. Et vero passim erat receptum, teste Aristotele (1), ut ignominiâ aliquâ afficerentur, qui sibi mortem conscivissent; sepulturam eorum corporibus negatam legimus. Quae certe omnia instituta sunt, quoniam, quod mortuis accidit, id a vivis metuitur, qui hoc pacto fortasse a peccato retrahuntur.

Quod ad philosophos, plurimi improbabant, quippe nec pium censentes nec virile, cedere fortunae et imminentia adversa, quae ferenda fortiter erant, subterfugere. Omnibus enim, si Stoicos excipias, placuit, quod Socrates dixit in Phaedone (2) «ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδ' ἀποδιδράσκειν.» Cui aliam eamque magis popularem addidit rationem «θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελομένους καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι. ex quibus recte efficitur μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ.»

Idem quoque statuit Philosophorum princeps, PLATO, ubi agit de sepulturâ eorum hominum, qui diras sibi injecerunt manus. Proponitur certe αὐτοχειρία ut factum turpissimum, quamvis de ejus generibus lenius judicetur, veluti hoc loco (3): «τούτῳ δὴ τὰ μὲν ἄλλα θεὸς οἶδεν, ἃ χρὴ νόμιμα γίγνεσθαι περὶ καθαρμοὺς τε καὶ ταφάς· ὧν ἐξηγητάς τε ἅμα καὶ τοὺς

(1) Ethic. ad Nic. V. c. 5.

(2) C. VI. cf. WYTTENBACHII *annot.* ad *Phaed.* p. 130, 139.

(3) De Leg. IX. p. 44, ed. *Bipont.* tom XI.

περὶ ταῦτα νόμους ἐπανερομένους χρὴ τοὺς ἐγγύτατα γένει ποιεῖν αὐτοῖσι κατὰ τὰ προστασσόμενα. Τάφους δ' εἶναι τοῖς οὕτω φθαρεῖσι, πρῶτον μὲν κατὰ μόνας, μὴ δὲ μεθ' ἑνὸς ξυντάφου· εἶτα ἐν τοῖς τῶν δώδεκα ὁρίσισι μερῶντῶν ὅσα ἀργὰ καὶ ἀνώνυμα, θάπτειν ἀκλείς αὐτοὺς, μήτε στήλαις μήτε ὀνόμασι δηλοῦντας τοὺς τάφους.»

Neque minoris momenti est ARISTOTELIS hac de re sententia, haud indigna profecto, quae apponatur: τὰ μὲν γάρ ἐστι τῶν δικαίων τὰ κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ὑπὸ τοῦ νόμου τεταγμένα, οἷον οὐ κελεύει ἀποκτιννύναι ἑαυτὸν ὁ νόμος· ἃ δὲ μὴ κελεύει, ἀπαγορεύει· ἔτι ὅταν παρὰ τὸν νόμον βλάπτῃ, μὴ ἀντιβλάπτων, ἑκὼν ἀδικεῖ· ἑκὼν δὲ, ὁ εἰδὼς καὶ ὃν καὶ ᾧ. ὁ δὲ δι' ὀργὴν ἑαυτὸν σφάττων, ἑκὼν τοῦτο δρᾷ παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ὃ οὐκ ἐᾷ ὁ νόμος· ἀδικεῖ ἄρα, ἀλλὰ τίνα; ἢ τὴν πόλιν, αὑτὸν δ' οὔ; ἑκὼν γὰρ πάσχει, ἀδικεῖται δ' οὐδεὶς ἑκών. διὸ καὶ ἡ πόλις ζημιοῖ καὶ τις ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείροντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι (1).

«Nam quae omni virtuti congruentia a lege con-«stituta sunt, ea in juribus sunt habenda. Exempli «gratiâ, non jubet lex se ipsum interficere: et quae «non jubet lex, ea vetat.» Praeterea cum quis contra «legem nocet alteri, nullo ab eo incommodo accepto, «sponte facit injuriam: sponte autem facit, qui sciens «cui et quomodo faciat injuriam facit, at qui ira «impulsus sibi ipse mortem conscivit, hoc sponte facit «contra rectam legem, quod lex non permittit. In—

(1) Cf. Eth. ad Nicom., L. V. c. 15. et LAMBINI interpretatio.

«juriam igitur facit, sed cui? nonne civitati, non «sibi? sponte enim hunc casum subit ac perfert: at «sponte sua nemo afficitur injuria. Itaque et mulctat «eum civitas et ignominiâ afficit, qui se ipse exa«nimavit, ut qui civitatem injuriâ afficiat.» Quod si quis ad hacc adjiciat alium ejusdem Philosophi locum (1), «τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ — μαλακίᾳ γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα.» is profecto minime dubitabit de Platonis et Aristotelis hac in re consensu.

Epicuri sententiam Seneca (2) hisce retulit verbis: «Objurgat Epicurus non minus eos, qui mortem con«cupiscunt, quam eos, qui timent, et ait: ridiculum «est, currere ad mortem taedio vitae, cum genere «vitae, ut currendum esset ad mortem, effeceris. Item «alio loco dicit: quid ridiculum, quam appetere mor«tem, cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis? « Neque aliter ii philosophi, qui dicuntur Neoplatonici, Plotinus (3), Porphyrius aliique, quorum opiniones concise MACROBIUS (4) tradit. «Exitu coacto animam «circa corpus magis vinciri et revera ideo sic extortae «animae diu circa corpus ejusve sepulturam vel lo«cum, in quo injecta est manus, pervagari.»

Quid memorem Aristippi discipulum, qui merito cognominatus est κεισιθάνατος? de quo CICERO (5) in

(1) L. c. L. III. c. 11.

(2) Ep. 24, cf. DIOG. LAERT. X. p. 783, ed Colon. 1615.

(3) Cf. Ennead. I. 9, 1, et de abstin. L. III.

(4) I. 13. *Somn. Scipion.*

(5) Tusc. D. I. 34. DIOG. LAERT. II. 80, et VALER. MAX. VII. c. IX.

Tuscul. «Et quidem hoc (a malis mortem abducere, «non a bonis) a Cyrenaico Hegesia sic copiose dispu-«tatur, ut is a Rege Ptolemaeo prohibitus esse di-«catur illa in scholis dicere, quod multi, his auditis, «mortem sibi consciscerent.»

Ex his, quae monuimus, satis superque, ni fallor, patet, apud Graecos opinionem vulgarem non favisse τῇ αὐτοχειρίᾳ, quamquam ex legibus quibusdam antiquis apparet, exceptiones saepenumero locum habuisse; videntur Graeci εὔλογον tantum ἐξαγωγὴν laudavisse, sed alia genera mortis voluntariae improbasse. Neque Graecorum natura et indoles erant ejusmodi, ut animi inclinatione ad mortem voluntariam ducerentur. Quod ad plerosque eorum, ut Darius (1) Persarum Rex, sic et illi malebant alieno scelere, quam suo mori malo. Et vero praeclara exempla αὐτοχειρίας apud eos non inveniuntur. Nam quid de illis virginibus Milesiis? quas omnes insaniâ corruptas dixit Plutarchus (2). Quid de Cappadocibus, qui, narrante Justino (3), «occisis conjugibus et liberis, domos «quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eo-«dem congestis etiam servitiis, et semetipsos praeci-«pitant, ut nihil hostis victor suarum rerum, praeter «incendii spectaculo frueretur.» His omnibus enim nihil efficitur nisi hoc, desperatione, saevitia et superbiâ homines saepissime ita perturbari, ut quid faciant, se nescire, ipso facto ostendant.

De Philosophis facile judicium est: nam omnes

(1) Curtius, V. (2) De virtutibus mulierum.
(3) XIII: 6.

paene damnarunt talem vitae exitum. Stoici tantum probarunt et laudarunt αὐτοχειρίαν, sed Zeno, hujus scholae parens, de ea nihil videtur praecepisse, quamvis traditur, digito fracto, jam provectus aetate ipse se suspendisse (1).

Philosophia Stoica magnitudinem animi ponebat in contemtione omnium rerum, quae nobis necessa viderentur; at Stoicus atrocem sibi comparat animum, elatusque supra omnia se ipse occidit, quippe oppressum calamitatibus, doloribus, morbo, egestate aliisque, quae prohibeant ejus dogma ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. Mortem oppetere patriae religioniquae causâ, id semper in honore habitum est, sed quomodo αὐτοχειρία potuerit probari et expeti ab iis, qui omne bonum in unâ virtute ponebant, omnesque animi perturbationes rationi subjiciebant; quemque placito is demum sapiens habebatur, qui legi naturae recta imperanti prohibentique contraria, strenue obediret, quorum unusquisque se Regem pronuntiabat — tales igitur quomodo semetipsi occidere ac voluntariam mortem laudare potuerint, id intellectu videtur difficillimum. Quin etiam haec omnia haec clarius ostendunt, Stoicos, qui sibi semper constare visi sunt, sibi nec constitisse nec constare potuisse, cum ἀνάδεια habitaret in ere, animus contra subjectus esset πάθεσιν (2). Sed quidquid sit, ea ipsa

(1) Diog. Laert., VII. § 28.

(2) Legatur Lipsii manud. in *Phil. Stoicam*, et Gataceri, *Praelegium ad Marcum Antoninum*.

Stoicorum placita disputabantur in Stoâ, non regnabant in populo neque publicam dirigebant gentium opinionem: nam plebs, quamquam non jactans magnis clamoribus, se naturam ducem sequi, in facinora indoli hominis prorsus contraria rarius incidit.

Et de his quidem satis dictum. Accedo ad *Romanos*, de quibus breviter. Nullus facile est populus, cujus magnitudo animi conferri possit cum eâ, quae fuit Romanis. Horum enim summa virtus erat fortitudo, hinc ingentia proelia ingentesque victoriae. Sed ex eadem forte causâ explicandum est, tam magnum in hoc populo fuisse numerum eorum, qui sibi mortem consciscerent, quorumque factum laudibus efferretur. Sunt quidem, qui philosophiam Stoicam hujus rei effectricem putent: at probe animadvertendum, non hac primum sapientiâ Stoicâ fortes esse factos Romanos, sed contra, qui unâ fortitudine virtutes plerasque omnes comprehendi putabant, Zenonis arripuisse placita, eadem explanasse, seque huic sectae potius quam aliis applicuisse. Ille vero furor semetipsum interimendi iis praecipue temporibus invaluit, quibus ad ruinam inclinare gloria civitatis, civesque luxuriosae dediti vitae turpem inertiam praeferre coeperant libertati, cujus amore olim majores ad summum honoris et gloriae gradum escenderant. Accedebat rerum divinarum despicientia apud principes, mira superstitio apud plebem. Qua de re nemo facile dubitabit, nisi qui historiam hujus gentis ignoret. Atqui ne sic quidem quavis de causâ laudarunt αὐτοχειρίαν; nam, quod

«egregie aliquis (1) Cicero, «vetat dominans ille in «nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare, cum «vero causam justam Deus ipse dederit, tamquam «a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic «a Deo evocatus atque emissus eveat.» Alibi hujus rei rationem probabilem a se afferri idem existimat (2). «In quo,» inquit, «plura sunt, quae se«cundum naturam sunt, hujus officium est in vita «manere; in quo autem sunt plura contraria, aut «fere videntur, hujus officium est e vita excedere.» Sed quid judicabimus de iis sapientibus, quibus in vita, ut Cicero loquitur, servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinebat (3), «aut «bibat,» inquit, «aut abeat. Et recte. Aut enim «fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, «aut ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, «ante discedat: sic injurias fortunae, quas ferre ne«queas, defugiendo relinquas.» De his quidem quid sentiam, nescio! sed Africam admonitione delector Platonica, «quaeso,» inquit Scipio, «pater san«ctissime atque optime . . . . quid moror in terris, «quin huc ad vos venire propero? non est ita, «inquit ille: nisi Deus is, cujus hoc templum est «omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis «liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. . . . «Quare et tibi, Publi, et, pii omnibus retinendus «animus in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo «ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum

(1) Tusc. V. I. 30. — (2) Fin. III. 18. — (3) Tusc. V. 41.

«est, ne munus humanum assignatum a Deo, de-
«fugisse videamini (1).» Digna vox germano Phi-
losopho! dignus ille, qui, quod in S. S. dicitur,
videret diem Christi! Sed qui scriptis ea consignavit,
quomodo idem laudare potuerit Catonem multosque
alios, intelligi vix possit, si Romanum eum fuisse
obliviscamur.

Deinde magnus exstitit αὐτοχειρίας et laudator et
amplificator, SENECA, Romanus ille philosophus, unus
e paucis; hic *bene mori* (2), inquit, *est effugere*
vivendi periculum, alibi pronuntians: «qui negant
«et nefas judicant ipsum interemtorem sui fieri, eos
«libertati viam claudere.» Etiam nervosius sententiam
suam his exposuit verbis: «nil melius, ait, aeterna
«lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad
«vitam dedit, exitus multos. Hoc est unum, cur de
«vita non possimus queri: neminem tenet. Bono
«loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo
«miser est. Placet? vive. non placet? licet eo re-
«verti, unde venisti» et Ep. 26. «qui mori didicit,
«servire dedidicit, supra omnem potentiam est, certe
«extra omnem. Quid ad illum carcer et custodia et
«claustra? liberum ostium habet.» Sed suis placitis
quam contraria sit vulgaris hominum opinio, idem
ille adeo non ignoravit, ut Ep. 22. scripserit «Nemo
«quam bene vivat, sed quamdiu curat: cum om-
«nibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu,
«nulli.»

---

(1) Somn. Scip. III. (2) Ep. 70.

Non aliter quam Seneca, statuit ANTONINUS (1) Imperator, philosophus Stoicus. Pervulgatam dixi apud Romanos et vulgi superstitionibus accommodatam fuisse opinionem illam a Virg. Aen. VI. 434 sq. expressam, de miserâ sorte eorum, qui manus sibi diras intulissent. Sed de eo dubitari potest, cum apud historiarum scriptores legimus laudes Lucretiae (2), Catonis (3), Attici (4) aliorumque multorum. Huc pertinet, quod narrat TACITUS (5), Macrobodnum Regem a Caesare victum, hujus misericordiâ Ravennae habitasse, non excessisse Italia per duodeviginti annos; et consenuisse multum imminuta claritate ob *nimiam vivendi cupidinem:* hinc idem historiarum scriptor (6) laudat Scaurum se ipsum interficientem. «Scaurus,» inquit, «ut dignum veteribus Aemiliis, «damnationem anteit, hortante Sexitia uxore, quae «incitamentum mortis et particeps fuit.» Ejusdem generis sunt quae exstant in PLINII (7) epistolis: v. c. de Aristone, «qui, si valetudo esset insuperabilis, «sponte exiret e vita: sin tantum difficilis et longa, «resisteret maneretque. — Id (scribit Plinius) ego «arduum inprimis et praecipue laude dignum puto. «Nam impetu quodam et instinctu procurrere ad «mortem, commune cum multis: deliberare vero et «causas ejus expendere, utque suaserit ratio, vitae

(1) Εἰς ἑαυτόν. III. § 1—10, V. § 29.
(2) LIVIUS I. 57—59.
(3) CIC. Off. I. 31. VALER. M. 3. 2. 14.
(4) NEPOS c. 21 et 25. (5) Annal. II. 63.
(6) Annal. VI. 29. (7) Ep. I. 22.

«mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis «est animi.»

Alibi (1), ubi profitetur se magnum sentire dolorem ex amisso amico Rufo, qui se inedia interfecerat, concedit ille mortem lactissimam esse, quae non *ex natura nec fatalis videatur*, magnitudinem tamen animi laudare non dubitat. Comprobat idem Africae factum, praeclarum dicens illud «ferrum stringere, «perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigam «marito, addere vocem immortalem ac paene divinam, «*Paete non dolet.*» ut et aliud municipis cujusdam, quae cum marito se ligavit abjecitque in lacum (2). Ex hactenus dictis non colligi potest, quae fuerit Romanorum opinio vulgaris circa rem, de qua disputamus: licitum tamen putarunt laudandumque adeo censuerunt plurimi, si quis ob honestam causam sibi mortem ipse consciscere, verum illicitum, si id tentaret aliquis ad effugiendam sceleris commissi imminentem poenam (3). Excepti sunt servi, quippe qui non sui essent juris, sed in potestate domini (4); excepti item (ut conjicere est) ingenui, qui mortem voluntariam obeundo civitati nocerent.

Verum optime vulgarem opinionem, meo arbitratu, significavit CATTOGNATUS apud Caesarem (5): «animi,» inquit, «est ista mollities, non virtus, inopiam paulis«per ferre non posse. Qui se ultro morti offerant, fa-

(1) Ep. I. 12. (2) L. III. Ep. 16 et L. VI. Ep. 24.

(3) TACIT. Ann. 4. 30. et SENECA Ep. 70.

(4) ULPIAN. p. 42. ed. GANNEG.

(5) B. G. VII. c. 77.

«silius reperiantur, quam qui dolorem patienter ferrant.»

At quorsum hæc, quæ dixisque de Romanis? nimirum, ut ostendamus, ex hac gente multos talent recentos esse judicandi agendique rationem, ut *præcepta* ab *αὐτοχειρίᾳ* abterreri debuissent. His igitur cur Evangelium non prospexit uno alterove præcepto conspicuo? Respondere licebit, religionem Christianam non esse conditam ad refutandos vel instituendos eos, qui suam ipsorum sapientiam admirantur, sibique immodice placent: (*φάσκοντες εἶναι σοφοὶ* Rom. I. 22.) sed Euangelium requirere homines dociles, simplices, candidos, veri rectique amantes, qui suæ sibi tenuitatis conscii, abjectis opinionibus falsis, se totos Jesu Christo tradant sibique persuaderi sinant, vere divinam esse hanc disciplinam ab auctore propositam vere divino. Sic enim ipse Dominus noster, narrante Marco (1), *ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.* Tali autem indole qui præditi sunt, facile carent, quod ad *αὐτοχειρίαν* attinet, omni interdicto.

Verum ex ipsis adeo Christianis (dixerit aliquis) multi fuerunt, qui sibi mortem conciscerent. Fuerunt sane, sed falsâ quadam ducti opinione, existimantesque, aut se Deo consecrari, si fugiendae calamitatis causâ mortem sibi accelerarent, aut citius se pervenire in regnum coelorum sedesque beatorum. Plerique tamen

---

(1) Marc. X: 15. Legatur quoque Cl. VAN DER PALM, 8e *tiental Leerredenen*. 1832. p. 146 sq.

seculis priscis satis justum rebus hujus vitae statuerunt pretium; et mores eorum fuerunt tales, ut AUGUSTANUS dicere potuerit: «*nullus Christianus malus est, nisi hanc professionem simulaverit.*» Mortem quidem subire malebant quam Christum denegare; quorum si haud pauci justo cupidius martyrium affectarunt, excusandi videntur ob nimium ardorem, non culpandi ob mores. Certe ad temeritatem maturandae mortis trahi non potest, quod pronuntiavit JUSTINUS MARTYR (1): «sempiternae et puae «vitae desiderio ducti ad consuetudinem cum Deo «vivendi adspiramus.» Nec dubito, quin ut, ven. NORISIUS (2) consulto agens de primorum hominum Christianorum vitâ privatâ recte judicaverit: «plerique, «inquit, vitam tanti habuerunt, ut omnem navarent «operam ad eam prudenter fortiterque tuendam. Sed «ut primum sanctissima, cui addicti erant, causa pos»tulabat, ut ad ejus defensionem mortem oppeterent, «nemo bonus morî recusavit.»

Quae cum ita sint, vix est, quod miremur, in Cod. Sacro nihil esse praeceptum, quod ad αὐτοχειρίαν pertinent et ab ipsis quoque Apostolis rem esse praetermissam, quandoquidem nec hominum indoles, nec temporum illorum opinio communis nec vitae ratio primorum Christianorum talem praeceptionem magnopere flagitabat. Objiciat quispiam, ubique vixisse Stoicos, quorum perniciosis placitis et exemplis obviam

(1) Apolog. II. p. 57.

(2) J. NORISIUS diss. de prim. hom. Christ. vitâ privata. Lugd. Bat. 1825. p. 112.

ire debuerunt Evangelici scriptores. Audio, sed quid Apostolis cum Stoicis? et quae necessitas, ut Stoicorum decretorum peculiaris ratio ab illis haberetur? Primis quidem sectatoribus Christi, quos Judaeo-Christianos nominamus, non opus erat praecepto contra facinus, a quo natura abhorret; ipsorumque animus alienus erat. Ethnici vero, quotquot Christi doctrinam profitebantur, hoc ipso facto ostendebant, sibi religionem suam non satisfacere neque se in philosophorum suorum sapientia acquiescere: sed in Jesu Christo se ponere omnem spem salutis aeternae, fide ipsi habita, malle dolores vexationesque perferre, quam communem cum vexatoribus ducere vitam, quae beatitatis inanem speciem prae se ferret. Neque vero dubito, quin Apostoli, si ex coetu Christianorum nonnulli se ipsi interfecissent, acriter illud improbaturi fuissent, quemadmodum illi τὴν πορνείαν aliaque vitia Ethnicorum, quibus intermixti vivebant Christiani, graviter reprehendebant ut Rom. I. et alibi. Imo vix dubium est, quin Paulus Apostolus, si disertis verbis αὐτοχειρίαν vetare voluisset, eidem principio suum mandatum superstruxisset, quo solet πορνείαν prohibere; scilicet hominem Christianum esse ναὸν τοῦ Θεοῦ, spiritus divini quoddam sacrarium, (I Cor. VI: 19), ideoque non plenam sui potestatem habere, sed divinae gloriae omnibus animi corporisque viribus amplificandae obstringi atque obligari.

Praeterea non opus est, ut moneamus, Stoicorum opinionem de morte voluntaria arcte copulatam fuisse cum eorum placito de ἀπαθείᾳ, quod rursus penderet

ab ipsorum de Fato decretis. Hoc autem dogma quam praeclare Paulus impugnavit, oratione illâ Athenis habitâ coram Stoicis et Epicureis! (Act. XVII.) Nam Providentia, fato opposita, eaque *specialis*, vivendi tempus et locum definiens, ut ab eorum placitis in universum discrepat, ita illud inprimis de αὐτοχειρίᾳ dogma prorsus non admittit (1).

Jam vero duxit nos expositionis nostrae ordo ad tertiam causam, unde intelligatur, quare diserta praeceptio de vitanda αὐτοχειρίᾳ in Codice Sacro non exstet, nimirum *ad praestantissimam religionis nostrae indolem*. Sed proximo capite explanatius dicturus, quid de hoc *facinore* statuendum sit ex natura et indole religionis Christianae, nunc in universum monuisse sufficiat, moralem religiosamque obligationem qua homo tenetur ad curandum et sustentandum corpus simul et animum, revera fundatam esse hoc principio Evangelico: *Cura corpus, ut curare possis animum; cura animum, ut in regni coelestis gloriam possis admitti.* (2) Ea enim est nostrae religionis praestantia, ut à natura non desciscat, sed ad eam sit accommodata; nam cum omnes homines instinctu a morte abhorreant, illa omnium malorum

(1) Cf. v. ven. J. A. ANSPACH, de orat. Pauli Apostoli, Athenis habitâ. Lugd. Bat. 1829, p. 23.

(2) Recte de STAËL HOLSTEIN p. 23; « On a beaucoup dit, qu'il « n'y avait aucun passage de l'Evangile, qui indiquât la désappro- « bation formelle de cet acte. Jésus-Christ remonte plutôt aux prin- « cipes des actions qu'à l'application détaillée de la loi: mais ne « suffit-il pas, que l'esprit général de l'Evangile tende à consacrer la « résignation ? »

summam nomine τοῦ θανάτου comprehendit, pariter atque summum bonum τὴν ζωὴν vocavit, atque ita conjunxit vitam animalem cum morali, ut una sit via, unus tantum finis. Haud inepte mihi pronuntiare videor, ut tenebris τὸ φῶς, ut morti ἡ ζωὴ, eodem modo τῇ αὐτοχειρίᾳ plane contraria est religio Christiana: id quod nunc uberius exponere conabor.

CAP. II.

QUID EX NATURÂ RELIGIONIS CHRISTIANAE STATUENDUM SIT DE *αὐτοχειρίᾳ*.

In expositione rationum, quibus doctrina Christiana mortem voluntariam improbare quin adeo damnare censenda est, hanc ineamus viam, ut illas ducamus *primum* ab iis, quae Jesus ejusque Apostoli docent de corpore nostro: *deinde* a summo pretio, quod eorum doctrina tribuit vitae hominis; *tum* ostendere conabimur, quomodo hujus facinoris causae pugnent cum officiis hominis Christiani: praecipua *denique*, quibus hoc factum defenditur, argumenta ex religionis Christianae indole refellenda erunt. Ordiamur igitur ab iis,

§ 1. *Quae Jesus ejusque Apostoli docent de corpore nostro.*

Quae et quanta sit humani corporis praestantia, ex collatione dictorum Apostolicorum facile efficitur.

Constat homo duabus partibus, quarum altera subjecta est alteri: corpus aptissime dicitur *σκήνωμα* animi,

qui, illo dissoluto, transit in domicilium coeleste. Sed in terrestri corpore στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι, ἐπιποθοῦντες: neque hoc mirum, cum nos non lateat, ἐάν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, nobis paratam esse οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον, ἐν τοῖς οὐρανοῖς (II Cor. V: 1.) Homines igitur peregrini sunt in terra, ξένοι καὶ παρεπίδημοι ἐπὶ τῆς γῆς, qui πατρίδα ἐπιζητοῦσι. (Hebr. XI: 13.) οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν. (Hebr. XIII: 14.) Verum quamquam peregrini sumus et desideramus patriam nostram in coelis; tamen hoc nostrum corpus in summo habendum est honore, ut efficitur ex Epist. Pauli I Cor. III: 16 et VI: 19, ibi enim vocatur ναὸς τοῦ Θεοῦ s. τοῦ πνεύματος ἁγίου, quocirca non nostri sumus, sed recte addidit Apostolus οὐ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ, καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν. Neque vero longa et copiosa praeceptione jubemur ac docemur corpus illud curare, quoniam id facimus ex lege nobis ingeneratâ, quod ipsum significavit Paulus Ephes. V: 29 οὐδεὶς, inquit, πότε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν. Quin etiam plurimi nimiam corporis gerunt curam, quare Apostolus omnes adhortatur τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας. (Rom. XIII: 14.) Quantopere vero abhorreamus a dissolutione hujus corporis, quam mortem vocare usus voluit, alibi ostendit, dicens οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι, ἀλλ' ἐπενδύσασθαι, ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς. (II Cor. V: 4.)

Sed hanc ob causam nobis datum est hoc corpus, ut praepararemur quasi ad aliud et quidem coeleste;

quod qui efficit, ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, Θεός. quum tamen in hoc σκήνει στενάζομεν βαρούμενοι, nobis idem Deus concessit τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος, i. e. Spirituim Sanctum pignoris loco. Tales sunt ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ, in talibus τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ. quo Apostoli effato validissimas rationes contineri existimo adversus αὐτοχειρίαν. Nam ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστιν, qui igitur illud templum audacter corrumpit, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός, quia quos sibi Christus consecravit, Dei sunt ipsius. (I Cor. III: 16 sq.). At ille, qui Deum agnoscit Christumque profitetur, se abstinere debet a peccatis, quibus corporis dignitas laeditur, ut a πορνείᾳ: contra vero omnes obligatione tenemur τοῦ δοξάσαι τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ἡμῶν. Idem Apostolus praecipit I Thess. IV: 4, nam, quomodocunque statuamus de significatione vocis σκεῦος, dubium non est, quin dictum sit aut de corpore humano in genere aut saltem de ejus aliqua parte: improbatur πόρνεια, quoniam voluntas Dei omnibus praescribit εἰδέναι ἕκαστον τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ.

Corporis autem justam aestimationem esse signum reverentiae Dei, facile perspicitur ex loco Rom. I: 24, ubi legimus, Deum eos reliquisse, qui ab ejus cultu aberrassent sibique imagines fecissent, quas colerent honore divino, eosque tradidisse ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς. Igitur qui Deum amat, ejusque reverentiam secundum Christi praecepta declarare cupit, eum oportet factis pro-

bere suum amorem seque abstinere ab Ethnicorum peccatis: est enim arctissima animi et corporis conjunctio, ut neglecto corpore, ne animi quidem curam habere possimus. Quod cum docet uniuscujusque natura, quid est, cur verear dicere, ad eam Codicis nostri praecepta accommodata esse? admonemur profecto, ut sustentemus vires nostras, ut omittamus, quae corpori noceant, ut adhibeamus, quae possint prodesse: neque dubito, quin idcirco tantum temperantiae statuatur pretium, ut supra tot alias virtutes, tamquam earum veluti radix quaedam commendetur; quoniam illa ipsa temperantia sedat appetitiones et efficit, ut eae rectae rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis. Imo ille qui ita corpus curat, ut ejus naturam caute regat, ejusque desideria temperet, prouti praescribitur in Euangelio, nullo modo se ipse interficere poterit. At quis est, qui considerato illo instinctu validissimo, quo corpori conservando prospicere cogimur, praefracte neget, nos scriptis legibus carere potuisse? Nos autem Christiani homines non eo consilio potissimum sustentare debemus corpus, ut quam diutissime vivamus hujusque vitae bonis fruamur: hoc Ethnici curent multi, quibus nulla cognitio aut exigua spes est vitae vere vitalis: sed ut divinam gloriam in terris augere quam diutissime valeamus, ut pugnam cum iis, quae sunt τῆς σαρκός, feliciius depugnemus, et victores coronemur in vita futurâ. Ab hac igitur parte corpus in magno habendum honore; qui dissentiunt, Euangelio obloquuntur. Id sane praecipit, ut corporis et membro-

rum curam animo posthabemus longo intervallo, dixitque Jesus, satius esse εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλὸν, quam conservato corpore saniisque ejus partibus omnibus perdere vitam aeternam. Sed temere et nullo flagitante officio pericula adire, quibus corpori nocetur, vel id adeo destruitur, quid quaeso est aliud, quam quod dicitur in C. S., Deum tentare? quod quantopere fugiendum sit, Dominus suo demonstravit exemplo, solicitatus a diabolo, ut dignitatem suam ostenderet. Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, inquit ille, βάλε σεαυτὸν κάτω, cui Jesus, γέγραπται, οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου. (Math. IV: 7). Hinc ipse saepe evitavit pericula monuitque Apostolos, ut, quamdiu possent, persecutores effugerent: quodsi vitam terrestrem tueri non possent, nisi abnegata religione vera, promtos voluit esse ad vitae devotionem, quippe quorum animae, facta in honorem Christi corporis jacturâ, conservarentur in aeternum. Non igitur metuendi truculenti insectatores, cum Jesus pronuntiaverit, «μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· φοβήθητε δὲ μᾶλλον τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. (Math. X: 28). Animum autem simul et corpus perdere quis valet praeter Deum, quem δοξάσαι corpore et animo, in vitâ atque morte, nostrum est, qui ejus liberi per Jesum Christum facti sumus et nominamur? Qui vero corpus occidit, ejusque cum animo nexum dissolvit, qui violenta manu separat, quod Deus conjunxit, is contra Christi leges agit, naturae ordinem pervertit, sua libertate abutitur,

adhuc hanc non sine metu exspectet necesse est diem judicii. Manifestum est, religionem Christianam, quae corruptionem aut mutilationem membrorum vetat, totius quoque corporis dissolutionem vetare, et ex Apostolorum doctrina de corporis praestantia, quod volumus, recte colligi. Cum hac Euangelii doctrina magna ex parte conveniunt philosophorum de corpore humano quae feruntur sententiae, illaeque ab eximio collectae, ubi ait, «sunt qui dicant corpus «esse vestem animae, sunt, qui domicilium, sunt, «qui instrumentum, sunt, qui harmoniam.» — «Ne, «quod dico, tibi videatur commentum, Fabulla, ipse «Dominus Jesus suum corpus templum appellat, et «Petrus Apostolus suum corpus tabernaculum ap«pellat. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animae «sepulcrum, σῶμα dictum arbitrantes quasi σῆμα. «Alii carcerem mentis appellarunt, nonnulli praesi«dium, veluti arcem munitam. Quorum animus est «undiquaque purus, in templo habitat. Qui non te«nentur amore rerum corporalium, horum animus «agit in tabernaculo, libenter exsiliturus si vocet im«perator. Qui prorsus excoecati sunt vitiis spurcis«simis, ut numquam adspirent ad auram libertatis «Euangelicae, horum animus jacet in sepulcro. Cae«terum, qui moleste luctantur cum vitiis, nec adhuc «possunt, quod volunt, horum animus habitat in «carcere» (1).

(1) Cf. KRASKI *Dial. Puerpera.*

Licet hoc loco breviter respondere quaestioni *de variolis inoculatis*, quae inter a criminatis improbatas. (*Grundr. der Tugendl.* S. 258,

Jam transeamus ad alteram rationem, quam ducendam existimavi

§ 2. *A summo vitae pretio.*

Post brevem de corpore nostro disputationem, venimus nunc ad considerandum animum ita cum corpore conjunctum, ut ambo *hominem integrum* efficiant, qui *vivere* dicitur, quamdiu illa conjunctio manet, cujus dissolutio nomine *mortis* vulgo indicatur.

Quod sanae philosophiae cultores ac vindices abstractis formulis de vitâ docuerunt, congruere videtur propositis populariter in Codice Sacro. Ex horum sententia (1), *vita* dicenda est *complexus existentiae nostrae*, sive *conditio negativa* (conditio sine

---

Dogm. und Dogm. Geschichte, 1er Theil. 1800). Sic enim ille: «*Sich die Pocken einimpfen zu lassen* ist unerlaubt, weil man dabei «ohne Noth und aufs Ungewisse sich selbst einer Todesgefahr aussetzt, «die Pockenpest fortpflanzt, und vielleicht gar einem andern den Tod «bringt. Sie zur Pflicht machen zu wollen, ist ungereimt.»

Cui vero remedio qui audacter repugnat, temere is vitam exponit mortis periculo, civibusque male consulit, propagans contagionem, quam avertere potuerat, appetendo quod naturae aptum est et propulsando contrarium. Qui contra medicina prophylactica utitur, is, si non plane avertit morbum, ejus tamen vim haud exigue frangit, iis igitur, quae sunt in promtu artibus et suae et aliorum saluti consulere videtur.

(1) Cf. KRUG, *System der Pract. Phil.* p. 202. «*Leibliches Leben* «ist, soweit unsre Erkentniss reicht, die negative Bedingung (conditio «sine qua non) aller unsrer Thätigkeit und der dadurch möglichen «Erreichung unsrer Zwecke in der Sinnenwelt, diese aber der uns «einmal angewiesne Schauplatz unsrer sittlichen Wirksamkeit.»

qua non) *nostrae actionis, qua tendamus ad finem nobis positum in mundo adspectabili, theatro educationis nostrae moralis.* Recte igitur tota philosophorum vita antiquitus vocari potuit *commentatio mortis;* horum enim plerique totam vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemtione ac despicientia et in omni virtute ponendam esse putarunt. Quam quidem sententiam confirmavit doctrina Christi, qui a Deo omnia repetens animum illi se submittentem ut fundamentum posuit, quo omne vitae pretium nitatur. Sub quadruplici potissimum adspectu consideranda est hominis Christiani vita. Quomodo autem cunque consideretur, semper quominus mortem nobismetipsi consciscamus, prohibemur, si tenemus, *vitam esse donum Dei,* deinde, *veluti talentum* quoddam *nobis concreditum,* tum *educationem intellectualem simul ac moralem, qua ducamur in vitam futuram,* denique *ab hac vitâ pendere praemia et poenas post mortem* (1). De singulis data opera dicendum.

Vitam nostram esse donum Dei, neminem inficias iturum confido vel in dubitationem vocaturum, qui nos non esse natos nostrae voluntatis vi nostrave potentiâ, sed constitutos in terrâ vi effectrice benignitatis divinae serio perpenderit. Ille vero, qui nos creavit, nostras quoque conservat vires, quamdiu vult Math. VI: 25—27. et X: 29: tamdiu autem velle videtur, quoad vires unicuique rei creatae infixae

(1) Cf. REINHARD, *System d. Chr. Mor.* I. § 133.

domini, atque eorum, qui vulgo hoc nomine appellantur, quoniam infinitum quantum abest a summo Numine omnis tyrannorum licentia, crudelitas, saevitia, quae servorum statum miserum efficit; adde, quoniam, ut Christus docuit, Deus est pater noster, a quo pendemus, ut liberi a parentibus pendere solent, non dolentes illi, sed gaudentes, quod sint paternae potestati subjecti. Idcirco nobis libertas concessa est, ut libere vitam nostram possemus componere ad Dei voluntatem Ejusque favoris participes fieri: ac nihil obstat, quominus Dei in nos potestatem agnoscamus, cum Ille nos adeo a se pendere voluerit, ut sit mutua relatio patris et liberorum, quae omnem vim tyrannicam excludit. (Rom. VIII: 15, Gal. III: 26, IV: 6 et 7). Nec tollit libertatem Spiritus Dei in nobis habitans, nam vera Christianorum libertas est obsequium Deo praestitum et praeceptorum divinorum obedientia voluntaria. (Joan. VIII: 32. Rom. VII: 21) Quae obedientia, si semper locum haberet, numquam nos in servitutem abducere possent vires physicae, *ὁ νόμος ὁ ἐν τοῖς μέλεσι, ἀντιστρατευόμενος τῷ νόμῳ τοῦ νοός.* Nostra ergo dependentia a Deo, in nobis dominante, prohibet, quominus ipsius injussu, pro nostro arbitratu, e vita demigremus.

Ipsa quoque hominis libertas, quae vocatur, talis est, ut quae in vita insunt, nostrae potestati subjecta dicamus potius, quam ipsam vitam: nam ordinem naturae mutare non possumus, sed accommodare tantum valemus usui nostro. Qui vero de vita decernere audet, nonne idem facultatem habeat necesse est,

id, quod deponit, denuo sumendi pro suâ voluntate? Certissime, ut probatur exemplo Jesu Christi, cui uni hoc in S. L. vindicatur, ut quam positurus esset sua sponte, eandem vitam postmodum esset repetiturus (Joan. X): quod quidem unde repetendum sit, optime videtur ex altero Jesu effato patere (Joan. V), quo ὥσπερ, inquit, ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ. Hanc igitur facultatem qui sibi et aliis reddere potest, huic conceditur facile jus vitam finiendi. Contra, qui tali facultate carens sibi mortem consciscit, majestatem laedit divinam et seditiosus est civis in imperio divino: ut nunc taceam, quam ingratus sit erga Deum, qui ejus injussu e vita aufugit, et quantopere abhorreat a sensu Christiano, qui docet Deum esse ejus patrem per Jesum, innumera esse ejus beneficia, in hujus vitae malis et bonis conspicua (Eph. V: 20. Rom. V: 1—5, I Thess. V: 18). Fuerunt sane nonnulli, qui dicerent, beneficii speciem referre vitam, sed ob ingentes dolores beneficium non esse, quod inviti acceperimus: his infra respondendi erit locus.

Deinde vita non solum est beneficium, sed etiam, ut in S. L. dicitur, *talentum* nobis datum, quod foenerari debemus: nam eo consilio nobis vitam dedit Deus, ut non tantum nobis nostraeque saluti prospiceremus, sed ipsius gloriae viveremus augendae et celebrandae. Vindicat sibi vitae partem educatio nostra; partem ii, quibuscum arctiore necessitudine conjuncti sumus; partem patria, vel qualiscunque societas, cujus sumus participes: brevi, vita nobis

data est, ut prosit nobis ipsis, omnique societati humanae divinitus constitutae aut approbatae. Rem illustrat et confirmat parabola Christi de talentis a Domino creditis. Math. XXV: 14—30. Ut hic Κύριος unicuique servo tot concessit *talenta*, quot pro viribus administrare posset: sic Deus unicuique homini talem tamque longam dat vitam, quam convenire scit ejus viribus, consilio, ingenio, ut curet publicam salutem. Sed nemo parum diu vixit, qui virtutis perfecto functus est munere; nemo contra satis diu vixit, qui, quod debet, nondum solvit et majora peragere potest. Qui igitur mortem sibi infert, non utitur viribus nec tempore sibi concesso: quamobrem in judicium vocatus Domino hanc rationem reddat necesse est, ἀπελθὼν ἔκρυψα τὸ τάλαντόν σου ἐν τῇ γῇ· ἴδε, ἔχεις τὰ σόν, sed timeat ille Judicis damnationem τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον.

Docemur hac parabolâ, vitam non esse positam in quiescendo et contemplando, sed in agendo potius, quandoquidem non tam instinctu quam ratione vivitur. Id autem virtutis fastigium, quod homini proponitur, sese assecutum esse, nemo prae se ferat, cum saepenumero occurrant viri optimi provectae aetatis, qui per totius vitae cursum virtuti Christianae studuerunt, at vel sic tamen candide fatentur, se tantum abesse a perfectione, ut eorum, quae efficere et praestare decrevissent, vix prima fundamenta jecerint. Ad agendum igitur hic locati sumus, ad agendum Christus suo nos evocat exemplo: quid vero faciendum sit,

optime Paulus tamquam summâ quadam complectitur in I Ep. ad Timoth. VI: 18, 19. ἀγαθοεργεῖν, inquit, πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, εὐμεταδότους εἶναι, κοινωνικοὺς, ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς ὄντως ζωῆς.

Itaque *talentum foenerari* idem fere est, quod communem humani generis salutem juvare, tuerī, augere: omnes enim tamquam varia membra unum constituimus corpus, et praesertim Christiani communi vinculo conjuncti sunt in Jesu Christo, proutī dicitur Rom. XII: 4 et 5: Καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι μέλη πολλὰ ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν· Οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ καθ' εἷς, ἀλλήλων μέλη. Cf. I Cor. XII et XIII. Non est igitur, cur dubitemus, quin vitam *talentum* appellemus nobis creditum, quod in eo consistit, ut pro viribus, quas Deus uniciique dedit, iis muneribus, quorum colendorum efficiendorumque causâ nati sumus, perfungamur (1) nostraeque ut et aliorum prospiciamus saluti: neque ullâ re Deo propius accedunt homines, quam juvando hominum salutem. Quin vel ab initio inspectus Codex Sacer nos docet, ad imaginem Dei hominem esse conditum. Idcirco Jesus venit, ut exemplum proponeret, quod sequeremur, ut conjunctionem cum Deo restitueret, ut idoneos nos redderet ad imitationem Dei quippe perfecti; sic enim ille praecepit (Math. V,

(1) De hac parabolae significatione cf. V. Cl. J. van Voorst, *Leerred.* p. 22.

48). Ἔσεσθε ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ; ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τέλειός ἐστι. et alibi (Luc. VI: 36). Γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. Et Ephes. V: 1. Γίνεσθε μιμηταὶ τοῦ Θεοῦ, ὡς τέκνα ἀγαπητά. Cf. I Petr. I: 16 etc.

Apparet ex his, destinationem vitae nostrae secundum effata Codicis Sacri esse perfectionem nostram conjunctam cum salute omnium. Quid enim aliud est Deum imitari aut Christum sequi, quam Deum in omnibus amare? Ille autem summus est amor, quando cupimus omnes naturae nostrae socios beneficiis maximis prosequi, etiamsi nihil inde ad nos commodi vel utilitatis redeat. Praeclarissimus sane finis nobis propositus, sed pauci, qui ab eo consequendo non absint longo intervallo. Tanta est enim multitudo ac varietas officiorum, quae ad Deum, ad nos ipsos, ad alios homines spectant, ut praeclarissime nobiscum agatur, si in re tam ardua propositi nostri modicam partem consequi detur. Quum igitur suum quisque locum obtineat in hac statione terrestri, quo laborandum est, quamdiu spiritus regit corporis artus: quid absurdius, quam sua sibi manu vitam adimere ac tempori ad virium culturam ac perfectionem concesso terminos ultro constituere? Imo non tantum retinenda est vita, sed producenda quam diutissime. Numquam enim vitae finiendae causa satis justa excogitari poterit. Quis quaeso tam miser est, quin exemplo, consiliis, institutis aliorum saluti consulere possit? Hinc gravissime peccat αὐτοφονευτὴς, tum *negative*, si non amplius operâ, studio, facultatibus ad

utilitatem utitur communem: tum *positive*, pessimo exemplo, quod aliis proponit in vita atque morte. Deinde nemo inveniri potest, quin habeat sanguine, amicitia et officio sibi conjunctos, quibus auctoritate et consilio prodesse possit. Alius enim relinquit uxorem jam destitutam omni patrocinio; alius liberos, jam paternâ curâ et educatione carituros, alius alios, quos juvare debebat ac poterat. Qui tot vitae retinacula temere abrupit, isne leviter peccet? qui *talentum* a Deo sibi commissum per ignaviam abjicit, qui *υἱοθεσίαν*, quam per Jesum Christum consecutus fuerat, contemnit, isne recte agat?

Praeterea *vita nostra*, ut diximus supra, est *educatio intellectualis simul ac moralis, qua ducamur in vitam aeternam.* Omne Christi institutum in terrâ est schola quaedam, cujus discipuli sunt, quos Deus vocavit, ut filium suum profiterentur. Ut in omni scholâ multa inveniuntur grata atque jucunda, sic et plurima ingrata ac difficilia: ad prius genus referri possunt blandimenta, dulcedo vitae socialis, laudes, praemia; ad alterum laboris continuatio, castigationes, et si qua sunt similia. Talia vero, inprimis castigationes, non possunt abesse a vita hominis Christiani. Hinc Paulus ad Rom. XV. *καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα.* et Hebr. XII: 4—10. I Cor. IX: 24 sq. Non ignorabant Apostoli, quanta malorum cohors in hoc mundo mortales omni tempore circumsideat: videbant illi, hominum Christo addictorum vitam suo aevo vix quic-

quam aliud esse, quam perpetuam luctationem cum omni genere rerum adversarum: sed iidem docebant, ista omnia nobis esse salutaria, et pertinere ad nostram institutionem, exercitationem, confirmationem et conditionis sublimioris necessariam praeparationem: suntque verissima, quae Artabanes, narrante Herodoto (1) respondit Regi Persarum ἐν γὰρ, inquit, οὕτω βραχεῖ βίῳ οὐδεὶς οὕτω ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε, οὔτε τουτέων, οὔτε τῶν ἄλλων, τῷ οὐ παραστήσεται πολλάκις, καὶ οὐκὶ ἅπαξ, τεθνάναι βούλεσθαι μᾶλλον ἢ ζώειν, αἵ τε γὰρ συμφοραὶ προσπίπτουσαι, καὶ αἱ νοῦσαι συνταράσσουσαι, καὶ βραχὺν ἐόντα, μακρὸν δοκέειν εἶναι ποιεῦσι τὸν βίον.

Malorum haud exigua quidem pars oritur ex natura nostra sensitiva, maxime apud eos, qui Rationem ancillari quam dominari malunt: sed quanta est etiam copia eorum, quae extrinsecus accedunt! quam vaga volubilisque fortuna! quantae infidelitates! quantae ad tempus aptae simulationes! virtus constans et aequabilis despecta, vitium saepe in laude apud hominum multitudinem, saepiusque ornatum muneribus amplissimis, neque raro supra omnes elatum virtutes. Haec omnia tamquam coitione facta conspirasse videntur cum fragilitate hujus corporis, cum tot hominum consiliis pessimis, cum abusu libertatis a divina providentia hominibus concessae, ut vitam nostram redderent perpetuam luctationem, unde qui victores evadent, coronam aeternae gloriae in regno Christi accipient.

(1) L. VII. c. 46.

Jam si constantia in tolerandis calamitatibus, si perseverantia in domandis affectibus homini Christiano pro exercitatione et praeparatione propositae sunt: brevi, si tanquam igne spectandus et purificandus est animus noster, profecto non licet vitam deponere, ut illam explorationem effugiamus; nec in desertores cadere potest promissio Christi «ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.» (Math. 24: 13.)

Poenae naturales quae vulgo dicuntur malarum actionum, eas recte vocaveris admonitiones divinas, quibus jubemur vitae rationem mutare et ad Deum redire. Has admonitiones qui spernit, sibi dicta censeat verba Pauli Gal. VI: 7, ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει. Is igitur, qui a Deo admonitus non animum mutat, nec novum emendatae vitae cursum Deo consecrat, sed armis in se conversis omnem existentiam suam actu seditioso exstinguit, nonne accusari debet *laesae majestatis divinae?*

Non autem est, quod haec ulterius persequar; unicuique enim patet, sine solicitatione nullam esse virtutem; quid enim virtus aliud est praeter illud animi robur, quo bona, si vel mala esse videantur, constanter iis praeferimus omnibus, quae licet bonitatis specie fallant et nos ad se eligenda alliciant tamen revera mala sunt. Sed quae virtus major esse potest illa πίστει, qua homo Christianus declarat, se totum in Deo acquiescere, qui omnia, quae sunt hujus vitae nostraeque conditionis, regat ad arbitrium suum nostramque utilitatem? Quo circa qui diras sibi manus infert, ipso facto ostendit se Deo diffidere, abnegat

πίστιν, renuntiat Christo, ejusque crimen tam atrox est, ut verba nobis desint, quibus accurate sceleris ingentem malitiam describamus. Christianum hominem Deum revereri oportet; at qua reverentiâ eum prosequitur, cum sibi ipse jus occupat vitae ac necis? Constat irrisores peccare et exsecratores, sed hi tantum verbis: quanto magis ille, qui ipso facto ostendit se omnipotentis auctoritatem repudiare! imo, *seditiosus* est ille, quippe perfringens vincula, quibus Pater divinus liberos sibi conjunxit. — Verum homo Christianus, si non nomen solum sed et imaginem Domini sui in animo gestat, mortem sibi consciscere prorsus nequit. Is potius nimiam anxietatem curasque animi omnes penitus abjicit: (Ps. XXXVII: 5 et LV: 3; I Petr. IV: 19,) et, si vel gravissimis pungitur doloribus ingentique calamitate premitur, tranquilla mente Deo committit sortem suam: atque idcirco ea, quibus indiget, rogat modestis precibus, ceterum omnia paratus et ferre et perpeti. Qui semper Deum sic respicit, non diffidentiâ se duci patitur neque angitur curâ inani, neque rapitur desperatione; sed in omnibus venerans Dei voluntatem, cui se submittit per totum vitae cursum, de morte sibi inferenda ne cogitare quidem potest.

Illud ergo manifestum est, eum, qui ad finem usque non pugnaverit, sed vi sibi illatâ aufugerit calamitates, neglexisse prorsus educationem suam moralem, neque dignum esse, qui consequatur praemium gratiae divinae ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν: quandoquidem monendum est denique, *ab hac vitâ pendere praemia et poenas vitae futurae.* Quamquam vero haec res

in universum adeo certa est et explorata, ut hominum Christianorum vix quisquam ignorare possit illud ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις, (Hebr. IX: 27) utque neminem facile lateat, quae tot locis et ab ipso Jesu Christo et ab Apostolis docentur de recte aut malefactorum retributione divina; tamen quid de sorte futura interfectorum sui praecise dicam, non habeo. Nam disertis et conceptis verbis Scriptores Sacri non solent indicare, quae et quales poenae singulis peccatis divinitus aut decretae sint aut decernendae: disserunt illi generalius et saepissime figurate de beatitate aeterna et miseria condemnandorum. Putabimusne tamen, judicatum non iri servos fugitivos Domini et officii sui desertores? absit hoc quam longissime. Sed quomodo judicabuntur? An existimabimus cum nonnullis, eos, qui vitam sibi ademerant, ad benignitatem divinam confugere posse, ut veniam hujus delicti impetrent? Humanum id quidem, quod ita judicant, attamen dubito an prorsus temeraria sit aliorum opinio, qui statuunt, viam salutis esse praeclusam sui interfectoribus. Certe praemia exspectare non possunt, qui sua sponte stadium deseruerunt et laborem sibi impositum turpi ignaviâ subterfugerunt. Neque honores, quales piis et fidelibus Jesu Christi imitatoribus promittuntur, sperare debent, qui animum ad melioris vitae spem erigere et legis divinae praeceptis observandis se ad eandem vitam formare neglexerunt. Nam si in his terris placidam ac beatam senectutem reddit vitae ante sapienter, honeste, praeclare actae

recordatio, cur dubitemus, quin ejusmodi recordatio longe beatissimam sit redditura vitam post mortem agendam? At is, qui animi perturbationibus extra se raptus aut sceleribus tamquam furiis exagitatus Deum et se ipse deserit et Euangelii dulcia alloquia pariter atque graves admonitiones temere negligit, sua perversitate sibi arcesset tremendam illam supremi Judicis vocem: *Ego te non novi.* Ad indulgentiam vero quomodo confugere poterit ejus judicis, qui dixit ὅστις δ' ἂν ἀρνήσεταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς (Math. X: 33.)? Nam, auctore Codice Sacro, haec vita terrestris duntaxat praeparatoria est ad salutem aeternam; illaque spreta, neglecta, in usum non rite adhibita, nulla spes superest neglecta postmodum compensandi aut damnum resarciendi. Porro satis constat, neminem in hisce terris tam sancte vivere, tam virtute et pietate provectum esse, nihil amplius ut ipsi vel dediscendum sit vel addiscendum. Qui vero id sibi sumit, ut se jam satis perfectum esse putet et ad vitam coelestem institutum ac praeparatum, inani occoecatus arrogantia is a vera pietate, quae inprimis in modestia cernitur, longissime abest. Recte igitur ex hisce patet, nemini licere, nemini expedire, multo itaque minus officio esse, hanc vitam *praeparatoriam* cum *peremtoria*, cui nescit et certissime nescit, an jam satis aptus sit, temere et proterve commutare. Quod qui faciat, ejus factum indicat animum nondum rite praeparatum; quippe cujus voluntas Deo nondum prorsus

subjecta est, neque ejus ὑπομονὴ (quod innuit Jacob. Apost. I: 4) ἔργον τέλειον ostendit. — Itaque nobis nihil superesse videtur, quam sortem deflere hominis, facinore neque utili neque honesto vitam finientis.

Quodsi ex Euangelii doctrina ideo huic vitae magnum pretium statuendum est, quod per totum ejus cursum acerrimo studio assignatam nobis divinitus stationem obtinere, demandatasque nobis partes tueri et omnia peragere debemus, quae ad perficiendam naturam nostram intellectualem et moralem pertinent: facile consequitur, ab Euangelio nobis vitae amorem ejusque tuendae curam revera praecipi, eoque ipso contrarium vetari ac proinde αὐτοχειρίαν repudiari et damnari.

Sed quae hactenus de vitae amore nobis insito et per Euangelium confirmato disputavi, haud quaquam eo valent, ut vita omni modo et semper servanda sit. Nam ut corpus et animus magno discrimine differunt, sic et officia, quae utrique debemus, gravitate differunt ac praestantia: hinc fieri potest, ut facta officiorum comparatione, vita etiam devovenda sit. Quare necesse est, ut videamus, qualis vitae amor Christianos homines deceat, quoad ea de re Scriptores Sacri nos certiores reddiderunt. Vidimus supra, amorem erga nos ipsos in Codice Sacro non diserte praecipi; sed potius, quoniam nostrae naturae infixus est, pro fundamento poni amoris erga alios. Etiam brutis animalibus amorem sui inesse satis constat: in his tamen, utpote libertatis et rationis expertibus, ille amor, quo se suamque progeniem tuentur ac sustentant, instinctus est, officium non est. Id secus in

hominibus. Horum enim amor erga ac ipsos et modum excedit, in peccatum abit. Ab hac immodica et nimia vitae amore non longe absunt multi homines, qui malum horrendum existimant mortem, cujus metu adeo perturbantur, ut animi tranquillitatem amittant: qui suavitate hujus vitae terrestris adeo delectantur, ut nihil ea medius, nihil optabilius putent; qui valetudinis curam adeo sollicite gerunt, ut vel sanctissima officia negligant potius, quam iis praestandis valetudini nocent. Hunc nimium vitae amorem noluit Deus, qui vitam terrestrem hominibus non dedit ut finem, sed ut viam ad vitam vere vitalem. Itaque apud Christianos homines amor vitae in eo consistat necesse est, ut vivere velint Deo, i. e. ut Deo obediant ad mortem usque, vitamque amittant potius, quam officium violent. Non est igitur nobis conservanda corporis vita prae metu mortis, cum Dominus mortem fidelium in vitam beatam convertat; nec ideo praesertim corrumpenda, ut diutius fruamur terrae deliciis, quae vivendi ratio ab Euangelii indole alienissima est. Verum conservanda est illa non modo virtutis causa in universum, sed virtutis praecipue Christianae, quae pro amplitudine et gravitate sua omne vivendi tempus requirit a Deo concessum, etiam longissimum. Illud urget eadem virtus Christiana, urgent pietas et πίστις εἰς τὸν Θεόν, ut jubente Domino, vitam labentis ponamus; nam jussu Dei hinc migrare, id non est perdere vitam sed lucrari, ut Christus dixit (Luc. IX. 24): ὃς ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώ-

ex abrupto. Igitur si veritatis, virtutis fideique causâ necem (1) occumbámus, jubente approbanteque Deo, enitam vitae honestam nacti sumus ad sanctissimi Servatoris exemplum, qui paternae voluntati ad mortem usque crucisque supplicium obtemperavit.

Simili ratione novimus Apostolos aliquot ita abiisse e vitâ, ut causam moriundi se nactos esse gaudeerent. *Nolle* autem *Deum*, ut vitam ponamus, vix intelligere possumus, nisi signo divinitus dato aperte admoneamur. Quamdiu vero Deus vitam nobis conservat, neque alii in nos irruentes vim nobis inferunt, tamdiu certe manendum est statione, in quâ positi sumus. Contra vero si alii vim inferunt neque nobis vitam concedunt, nisi officium negremus; adde si fugâ vel legitimâ nostri defensione periculum averti aut omnino non, aut certe honeste non potest, tum potius subeunda est mors, quam vita retinenda. Huc quoque spectat exemplum Domini nostri, qui tot vitae incommoda, tot hostium insidias summâ patientiâ toleravit, nec tamen de morte sibi conciscenda cogitavit, aut contra patris coelestis decretum vitam in oeuvo finitum ivit. Itaque vitae amor tantus esse debet, ut vitam non solum non finiamus, sed eam omni honesto modo tueamur: urgente tamen necessitate, patiamur necesse est, eos, qui nos persequantur, vitam nobis auferre potius, quam eorum obtemperantes voluntati Dei mandatis non obsequi. At Jesus dixit, alierum causâ vitam esse ponendam, ut Joh.

(1) Optime Plautus *Capt.* A. III. sc. V. vs. 32.
„Qui per virtutem peritat, is non interit.“

X: 11. ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων etc. c. XV: 13. Μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τὶς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ. Ita sane est, nec potest verius testimonium nostri amoris erga alios edi, quam si vitae anteponamus ea officia, quibus juvemus aliorum salutem. Sed hic summus amor non consistit in eo, ut nos ipsi occidamus, verum ut moriamur potius, quam nostrae vitae prospiciendo illos perdamus; recte igitur Joannes I Ep. III: 16. ἡμεῖς ὀφείλομεν ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς τιθέναι. Neque aliter Paulus, qui quamquam tot mala perpessus erat, quot ante eum pauci, tamen nec vitam exosus est, nec eam Christi causa dare recusavit. Act. XX: 24. οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου μετὰ χαρᾶς, καὶ τὴν διακονίαν ἣν ἔλαβον παρὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, διαμαρτύρασθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. et cap. XXI: 13. ἀποθανεῖν εἰς Ἱερουσαλὴμ. ἑτοίμως ἔχω ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ.

Multum autem differt αὐτοχειρία a tali morte voluntaria, quae locum habet, cum vitam possimus conservare sed officii causa id nolimus. Sic obiit Paulus, sic Jesus ipse, sic multi martyres; sic illi, quos auctor ad Hebraeos memorat c. XI. qui mortem acceperunt ab aliis, non sibi ipsi intulerunt. Tollitur enim vitam conservandi officium, si vita cum virtute retineri non potest: hinc infelix, qui nihil habet vitâ jucundius aut sanctius, nec potest vitam cum virtute colere. Tollitur deinde vitam conservandi officium, quando is locus, quem Deus nobis assignavit, cum discrimine vitae

conjunctus est, et Dei tamquam nos a statione avocantis auditur vox: *satis diu naturae vixisti, satis diu educationi tuae.* Denique illud officium tollitur, si nostrae vitae veluti pretio redimenda est ac tutanda civitatis vel aliorum singulorum incolumitas. Haec igitur dubitantibus indicio sunt, Deum velle, ut e vita discedant: sed Deus ipse his mortem immittit manu aliorum, ut non opus sit, manus in semet armare sibique vim inferre; quod qui facit, etiam splendidas virtutes si quae sunt in eo, atroci scelere obscurat, utpote qui exspectare debuerat, donec aut vita auferretur externo impetu, aut Deus in praesentissimo periculo auxilium mitteret (1).

Quid igitur, dixerit aliquis, quid judicandum de iis, qui violenta manu se interfecerunt in bello, neque exspectarunt hostes irruentes, ut fortiter pugnantes vitam finirent? Scilicet quatenus vel ignavia vel inanis affectatio nescio cujus gloriae eos cepit, longe absum, ut falsam eorum opinionem laudandam aut comprobandam censeam. Fuerunt adeo milites, qui morte honesta exornare conarentur vitam turpiter actam, et, ut multis videbatur, revera exornarent, sed obliti illi, si vitae turpitudo divinum judicem effugere non possit, ne morti quidem honestae ullum locum relinqui. Verum de factis militum difficile est omne judicium: neque est consilii mei, disserere de bello, utrum con-

(1) Legatur Dr. DE WETTE, p. 298. 3er Theil *Chr. Sittenlehre.* Ergo minus accurate DE STAËL HOLSTEIN, l. c. p. 68. «Renoncer à «la vie, qu'on ne pourrait acheter qu'au prix de sa conscience, c'est «le seul genre de suicide, qui soit permis à l'homme vertueux.»

veniat cum indole religionis Christianae nec ne, sed minime dubito claram et gloriosam vocare eorum mortem, qui ad tuendam patriae libertatem suique populi honorem vindicandum etiam praesentissima pericula non detrectant ipsamque mortem pro patria occumbere promti parátique sunt. Certe, quos Deus vocavit ad negotia discriminis plena, ut quotidie de vita dimicandum sit, illi, si mandato sibi munere strenue fungentes a morte opprimuntur et exstinguuntur, mirum quantum absunt a temeritate interficientium se ipsos, summis adeo laudibus dignissimi, quod vitae suae amorem cognito patris coelestis consilio ac decreto posthabuerunt.

Hactenus igitur Ethica Christiana, licet magnum humanae vitae pretium statuens, mortem voluntariam non improbat nec vetat, sed Deo acceptam ac per consequens rem praeclaram esse docet. Contra vero adeo repudiat *αὐτοχειρίαν*, ut hujus laudatores aut defensores, qualibuscunque demum argumentis suae opinioni patrocinentur, facile coargui possint pessimi erroris. Qua de re dicendi opportunitas jam adest.

§ 3. *Indoles religionis Christianae omnes reprobat causas, ex quibus oritur αὐτοχειρία.*

Causas, quae hominem efficiant *αὐτοφονεύτην*, supra exposuimus. Nunc videbimus, quomodo illae contrariae sint doctrinae Christi. De singulis dicere necesse non est; quod enim de genere valet, id ad partes quoque pertinet. Sequamur igitur divisionem, quam proposuimus quadripartitam, cum unamquamque causam sub-

jecimus aut *animi perturbationibus*, aut *erroribus de summo bono et malo, deque vera felicitate humana*; aut *religionis inscientiae negligentiaeque* aut denique *ratiocinationibus fallacibus*, cum decipimur in judicanda ipsius facinoris honestate (1).

Ordiamur ab *animi perturbationibus*. Recte Cicero in oratione pro Marcello: (c. 3.) «Animum vincere, ira-«cundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium «nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo «extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pris-«tinam dignitatem: haec qui faciat, non ego eum cum «summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.» His splendide dictis quis non annuat? talem virum quis neget ad Deum propius accedere? At is, qui se totum componere studet ad perfectionem divinam, mirum quantum abhorret ab ejusmodi animi perturbationibus, quae hominem plane depravatum, libidinibus mancipatum, rationisque paene expertem ostendunt et accedente desperatione, mortem voluntariam parunt. Est ea hominis natura, ut duae vires sibi semper sint contrariae, nempe, ut cum Paulo loquar, lex carnis et lex spiritus, quae flectunt hominem in bonam non magis quam in malam quoque partem. Apostolus cum alibi, tum praesertim in Epist. ad Gal. c. V: 17, ea sic descripsit: *ἡ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός. ταῦτα δὲ ἀλλήλοις ἀντίκειται, ἵνα μὴ, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε.* Ad carnem referuntur cum perturbationes animi omnes, tum vitia

(1) Cf. supra pag. 84.

quae ex his proficiscuntur: qui autem σαρκὶ obtemperant, βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. Contra vero, qui Christo se consecrarunt, tenentur hi, ut illas vires sapienter temperent, deprimentes τὴν σάρκα σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις.

Perturbationes autem, quibus toties accidere solet, ut homo mortem sibi consciscat, nonne omnes circumcidendae et amputandae, imo evellendae penitusque extirpandae sunt? Praecepta ad singulas pertinentia, quae per totum Codicem Sacrum passim habentur, nunc recensere vetant hujus scriptionis angustiae, sed ab hac quoque parte religio Christiana perfectissima dicenda est. Semper medicinam quaesiverunt philosophi, quibus animi morbi curarentur; doctrina Christi varias exhibuit curationes variaque dedit medicinae genera. Ut omnis Ethicae nostrae indoles opposita est eorum temeritati, qui perturbationibus ad αὐτοχειρίαν se duci patiuntur; sic maxime quidem contrarium est exemplum, quod imitari debemus, si ad dignitatem adspiramus verorum Christi cultorum. Imitemur igitur, quoad ejus fieri potest, Dominum, qui numquam animi perturbationibus indulsit: obediamus praeceptis universalibus, quae ex ejus cogitandi agendique ratione tamquam normâ nobis propositâ recte ducuntur: consectemur omnes, quibus ille eminuit, virtutes, flagrantem Patris coelestis amorem, constantiam in calamitatibus, nobisque inprimis commendatam putemus prudentiam in evitando vitae discrimine, sed et despicientiam periculorum, (Joan. XV: 18—21. Hebr. XII: 2, 3.) quae ipsi ab odio et calumniis ho-

minum veritatem non amantium imminebant, patientiam quoque et omnem animi magnitudinem. (I Petr. II: 21.) At quorsum haec omnia? Nimirum ut intelligatur, αὐτοχειρίαν ex perturbationibus ortam nihil aliud esse quam palam editum spreti Christianismi documentum. Dissolutus et perditus homo putandus est, qui libidine, iracundiâ, invidiâ, avaritiâ aut alio hujusmodi affectu mortem sibi consciscit, Christianus vero non est. Sed haec hactenus.

Consideremus etiam vulgares *errores de bono et mala*, videamusque quid doceant Scriptores Sacri; quamquam minime opus est, ut de natura ac finibus bonorum ac malorum longam disputationem instituamus.

Aliter vulgus aestimare solet bona, aliter praecipiunt viri sancti, quos Deus suorum consiliorum suaeque voluntatis interpretes esse voluit. Quantopere (ut paucis defungar) divitiae expeti soleant, notissima res est. Sed is ex Euangelii doctrina felicissimus est, qui Deum habet pacatum et propitium, qui Deo gratus et acceptus est. Hoc cui contigit, in tali statu is versatur, ut melius ei sit *esse* quam *non esse* (si modo fas est ita loqui), ut praestet vitam retinere, quam profundere: is fruitur bonis omnibus veris iisque perpetuis, quae cuivis malo inevitabili praeponderent: is vere dives dicitur, εἰς Θεὸν πλουτῶν, qui Deo fretus patrono vel paucis contentus est, et inopiam aequo animo tolerat. Talis autem de morte sibi inferenda cogitare non potest, quamquam nec mortem timens nec ad eam obeundam, si Deus jusserit, imparatus. Longe alia est ratio eorum, qui summum bonum in rebus hujus vitae posuerunt;

quarum Christi asseclae non tam facultatem et copiam expetendam duxerunt, quam et in utendo rationem, praescriptam illam a Domino summo ejusque Apostolis, et in carendo patientiam, quam iidem semper assecuti per totum vitae cursum beati fuerunt. Vix enim male putarunt, quae aliorum statum terrestrem omni beatitatis specie privant, paupertatem, humilitatem, amissionem voluptatum, graves corporis dolores, perditam valetudinem omniaque illa, quae possunt accedere. Haec autem qui unice sectatur, neque summum expetit bonum, Dei amorem, animi perfectionem, virtutem vere Christianam per se expetendam, neque fugit, quod summum est malum, culpam, quae pungit et cruciat, et consumit animi vires, lacerat et respirare non sinit, is omnium miserorum miserrimus jure vocatur, quippe similis illius infelicis, qui a Jesu Christo inducitur ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ, καὶ μὴ εἰς Θεὸν πλουτῶν. Aliter vero fieri vix potest, quin haec bonorum aestimatio haud raro in summum malum abeat: hinc enim metus eos excruciat imminentis jacturae, hinc vitae taedium nascitur, amissis facultatibus, hinc paupertatis horror et impatientia, hinc morbi, quando carendum est consuetis vitae commoditatibus et deliciis, et quae sunt reliqua. Atque hae causae latissime patere videntur nostris maxime temporibus, quibus multi mortem sibi consciscunt ob fortunarum jacturam et honorum amissionem. Quomodo enim Deo confidant ejusque providentiae, qui raro aut numquam ad divinas res animum serio converterunt? Quomodo illis animo fixum firmiter inhaereat, quod a Jesu Christo docemur, Deum

esse patrem; cui sint perpetuae curae res omnes omnium liberorum suorum, qui regat omnes casus nostros et ad salutarem quemdam finem propositum flectat, qui malorum etiam pessima ad bonum convertat? quid ad illos illustre exemplum Jesu Christi, aut Apostolorum, qui tot ac tantis malis conflictati animum numquam abjecerunt, sed coelesti patrono freti eximiam patientiam ac perseverantiam probaverunt? (cf. II Cor. IV et V.)

[11] Ita autem procuratio rerum humanarum divina eaque paterna ut universalis est, ita etiam res parvas spectat, quae vulgo nullius pretii habentur: nihil ergo fieri potest inscio Deo, nihil ipso invito aut non permittente, ut propulariter rem Jesus enuntiat praeclarissime Math. X: 29, nullum passerem cadere in terram ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν. imo αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. Jam si homines sunt υἱοὶ τοῦ θεοῦ, Deusque eorum curam habet ut pater; (Math. V: 25, VI: 24,) si omnium rerum existentia a Deo solo conservatur, si omnis mundi gubernatio ac proinde omnium rerum creatarum conditiones, mutationes, vicissitudines ab eo pendent; (Joan. V: 17, Act. 17,) si nos homines ἐν αὐτῷ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν; si idem ille sapientissimus rerum arbiter naturam nostram talem esse voluit, ut conditio terrestris esset perpetua luctatio cum rebus adversis, calamitatibus, doloribus, solicitationibus, quid tandem est, cur paternam disciplinam detrectemus et cum Jona Propheta negemus vitam morti praestare? Videtur sane res prima fronte excusabilis taedium vitae, quod

multos ad voluntariam mortem compulit: videtur nimia malorum ingruentium hominemque opprimentium copia efficere, ut justa censeatur causa oppetendae mortis. Sed homini Christiano semper in promtu est illud Pauli «ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν: (Rom. VIII: 28) licet mens humana perraro vias ac rationes perspiciat, quibus Deus pro sua sapientia utitur, ut quae nobis mala accidant, eventum habeant maxime salutarem. Nonne idem coelestis pater, nostrae naturae conditor ac καρδιογνώστης, misso filio, nos edocuit, qua ratione sit malis resistendum, qua via incedendum, ut victoriam reportemus?

At male reprehendunt Dei gubernationem, qui semper clamant de molesta vitae conditione vivendique miseriâ; non enim a Deo sed ab illis ipsis malorum origo plerumque repetenda est, ut recte Jupiter apud Homerum Od. I, 33. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν. Negandum certe non est, vitam humanam abundare doloribus, variisque miseriis: sed confitendum quoque, si quid malum est in mundo, homine malo nihil esse pejus. At Dei munera compensare calamitates nemini prospera et adversa ad aequam liberam exigenti ignotum esse potest. Hinc optime orator Romanus, philosophans de malis, quaestionem illustrat hac comparatione: «ut quaestuosa «mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera sem«per omni damno, altera omni tempestatis calamitate «semper vacat: sed si multo majore ex parte exstat in «utraque felicitas: sic vita, non solum si undique re-

ferta bonis est, sed si multo majore et graviore ex parte «bona propendent, beata recte dici potest» (1).

Deinde illud manifestum est, Jesum Christum pro vere malis agnoscere omnia, quibus homines premuntur, sed longissime illum abfuisse a probando vitae taedio. Dixit enim Math. V: 4. *Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται.* Hoc vero solatium nonne est vis efficax religionis Christianae? Beatos ille praedicat, qui Euangelii causâ malis afficiuntur: horum quidem *μισθὸς πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς, αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* (Math. V: 10). At perferendi sunt patienter, quibus afficimur, cruciatus et dolores; nam *ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται* (Math. XXIV: 13) ut et alibi *ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν* (Luc. XXI: 19). Apostoli ad sanctissimi Servatoris praecepta in tolerandis malis proxime accedunt, quin etiam disertis verbis docent, gaudendum esse in rebus adversis, *καυχᾶσθαι ἐν ταῖς θλίψεσιν*, et exemplum praeierunt Act. V: 41. *οἱ μὲν οὖν ἐπορεύοντο χαίροντες ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου, ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι*, quod quamquam ad causam Euangelii praesertim pertinet, tamen etiam latius patet. Praeclare Paulus monet ad Rom. VIII: 18. *ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς*: imo vix nominanda sunt mala, quae Deum amantibus ad bonum vertuntur. Esto enim, durissimam saepe venire homini sortem, quippe doloribus ac miseriis magis quam

(1) Cic. Tusc. V. 31.

voluptatibus ac gaudiis conspicuam, tamen πιστὸς ὁ Θεὸς, ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι ὑπὲρ ὃ δύνασθε, ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, τοῦ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν. (I Cor. X: 13). Neque excusari potest defatigatio in tolerandis calamitatibus, nam εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσω ἡμῶν ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. (II Cor. IV: 16) et VII: 10. ἡ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμετάμελητον κατεργάζεται· ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη θάνατον κατεργάζεται. Ab eodem Apostolo admonemur, ut certemus τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως (I Tim. VI: 12), ut adversa patiamur ὡς καλοὶ συστρατιῶται Ἰησοῦ Χριστοῦ. (II: 2, 3) nam si coronam vitae aeternae is accipiet, qui νομίμως ἀθλήσῃ (vs. 15), beatus quoque, qui perseverat in malis fortiter tolerandis, quippe εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν. At infelix, qui ut miles ignavus, abjecto scuto, fugam capiens, id est, Christum relinquit, nam εἰ ἀρνούμεθα, κἀκεῖνος ἀρνήσεται ἡμᾶς (II: 2, 12).

Quae cum ita sint, ad nostram felicitatem necessariae videntur res adversae, calamitates, vexationes, nam πάντες οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διωχθήσονται (II: 3, 12). Cum hac Pauli doctrinâ mirifice convenit, quod placuit et aliis Apostolis, in primis Jacobo in epistolâ. Hic enim, ut taceam plura, (I: 12) concise totius Euangelii expressit sententiam de malis hujus terrae: Μακάριος inquit, ἀνήρ, ὅς ὑπομένει πειρασμόν· ὅτι δόκιμος γενόμενος, λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Κύριος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. et V: 11. Videantur etiam I Petr. II: 19.

III: 14 sq. Hebr. III: 6, 14. XII: 1. Apoc. II: 10, 25. III: 21.

Igitur mala hujus vitae, quibus factum est, ut multi mortem sibi consciscerent, pertinere videntur ad nostram educationem moralem, de qua egimus supra: quam opinionem confirmatam videmus cum aliis N. T. locis, tum inprimis Hebr. XII: 5. et Apoc. III: 19, ubi castigatio proponitur tamquam signum amoris Dei erga nos utpote Dei filios, quibus usque ad sanguinem pugnandum sit contra peccatum (Hebr. XII: 4). Is vero, qui calamitatibus se adduci patitur, ut vitam sibi adimat, est eorum in numero ponendus, quos auctor ad Hebraeos (X: 39) dixit *εἶναι ὑποστολῆς, εἰς ἀπώλειαν*. Sed *αὐτοχειρία* ex hisce orta causis non levem, ANTONII GANUENSIS utor verbis (1) «Providen«tiae divinae aut diffidentiam aut violentiam continet. «Nam si Deo omnia sapientissime gubernanti in eas «rerum angustias conjicere placet, quae videantur «intolerabiles, credendum est, id e re nostra esse, «adeoque nullo modo licere adversari, nisi aut de «sapientissima Dei gubernatione diffidere velimus, aut «aperte eam violare parati simus: utrumque autem «est contra officia, quae Deo debemus, quaeque sunt «prima et maxima. Tum ne fortitudo quidem est, sic «vitam projicere; quum fortius mala tolerentur, quam «ita cedatur, ut praeclare disputat Aristoteles. Id quod «vetus poeta elegante cecinit:

«Nobis in adversis facile est contemnere vitam;
«Fortius ille facit, qui miser esse potest.»

(1) l. c. p. 180.

Sed quamvis concedamus, haud pauca eorum malorum, quibus premimur, extrinsecus nobis accidere, facile tamen probari potest, pleraque, ne dicam omnia, quibus tamquam tempestatibus jactati tot homines ad mortem violentam, ut nauta in portum, confugiunt, ejusmodi esse, ut ex perversa vivendi ratione provenisse dicantur. Quum enim, ut exemplo utar, prodigus post omnium fortunarum jacturam luxuriosam vitae genus non amplius continuare potest, omnia se perdidisse putat, etiam honorem et gratiam, quibus apud cives suos florere sibi videbatur, fortasse recte judicans, si cives ejus sequuntur illud poetae:

quaerenda pecunia primum,
Virtus post nummos,

sed penes veros Jesu Christi cives magis praespicietur honori suo, si ad moderatam et constantem vitae rationem redeat, suaque sorte contentus Deo et Christo confidat. Et est aliud in honore esse, aliud honore dignum esse. Saepissime accidit, ut is, qui ab omnibus honore afficiatur, cujus nomen in omnium ore versetur, cujus exemplum tamquam idea perfectae virtutis proponatur, apud Deum humilis sit. Contra, qui ab omnibus despicitur, contemnitur, negligitur, qui latens in occulto non gloriae vivit, sed virtuti, neque alios honores consectatur, quam beatam immortalitatem, is haud raro dignus est summa gloria, quoniam verum honorem in eo posuit, ut esset bonus Dei servus. Hic autem de morte sibi consciscenda cogitare non potest: est idem ille, quem ac hac parte Christi sectatorem merito dicamus. Neque hoc mirum,

si consideremus cum religionis nostrae indolem, quae decet, honorem παρὰ τοῦ Θεοῦ illi παρὰ ἀλλήλων esse praeferendum (Joh. V: 44): tum Domini ipsius exemplum, qui non suae apud homines existimationi aut famae studuit, sed patris honorem ut tueretur, patris laudes ut celebraret, et quam plurimis, ut idem facerent, auctor esset; huc igitur omne studium, dum viveret, convertit, hoc ut efficeret, dies noctesque omnes animi et corporis vires intendit. Atque sic decet Christianum hominem, τὸ φῶς ostendere, quod accipit a religionis tamquam sole, ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσιν τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα, τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. (Math. V: 16). Igitur non est, quod dubitem, quin ille, qui mortem sibi conscivit superbiae causa aut gloriae opinatae, abnegaverit religionem, quam ante professus erat. Quidquid sit, omnes hae causae, ex quibus αὐτοχειρία proficiscitur saepe, contrariae sunt indoli hominis Christiani eaeque improbatae praeceptis non solum, sed etiam Domini exemplo atque Apostolorum.

Veniamus ad *tertium causarum genus*, quod posui in *veras religionis inscientia ac negligentia*. Hinc illa animorum fluctuatio, quid de immortalitate sit statuendum, hinc dubitatio de Dei gratia per Christum consequenda, hinc metus divini judicii, quibus omnibus haud raro vitae quietae status perturbatur. Ad idem genus referri etiam potest omnis furor fanaticus, qui hominum mentes ita turbat, ut inde auferat paene, quidquid inest divini aut divinitus dati; deinde mysticismus quidam tot hominum, qui naturae divinae

immediatam nescio quam cognitionem jactant, Deumque mentis oculis spectare sibi videntur, et aberrare malunt a simplici veritate, usibus nostris humanaeque imbecillitati accommodatâ, quam somniis suis et perversae imaginationis ludibriis valedicere. O miseram opinionem multorum sapientiam jactantium, quasi veram viam ad Deum soli invenissent Ejusque arctiore communione soli fruerentur! Qui tamen a Deo longius absunt, quam lux distat a tenebris! Κύματα Apostolus dicit ἄγρια θαλάσσης, ἐπαφρίζοντα τὰς ἑαυτῶν αἰσχύνας (Jud. 13). Tales si aliquando ad desperationem compulsi vitam sibi adimunt, non nostra accusanda religio: haec enim non praescribit, ingenii nostri lusibus indulgere, aut phantasiae somniis nos regi sinere. Neque vero intelligentiores sunt, qui verum et Christiano homine dignum Numinis cultum in externa pompa et splendida ceremoniarum multitudine quaerunt: non enim in magnifico apparatu symbolico spectaculorum oculos praestringentium, nec in artificioso modulamine sonorum aures demulcentium vera religio cernitur, sed in perpetua totius animi ad Deum applicatione, quae hominem occupans non potest non edere optimos fructus eumque propius adducere ad veram perfectionem et Dei O. M. similitudinem. (Math. V: 48). Recte BORGERUS (1) «ille, inquit, «(Christianus) quidquid agat, sive rusticetur, «sive peregrinetur, in solitudine, in tenebris, in exilio, «intus habet religiositatis pabulum ejusque fundamen«tum, ut ita dixerim, ubique secum portat.» Coecus

(1) De *Mysticismo*. p. 232.

«sit atque surdus, intus religionis pulchritudinem cer-«nit, intus ejus vocem exaudit.» Haec est Christiani hominis cum Deo conjunctio, quam religionem appellamus, ejusque fructus sunt gaudium, virtutis amor, calamitatum perpessio, obedientia singularis praeceptorum, quae Jesus ipse nobis mandavit. — Tantum abest, ut homo vere Christianus sensibus animi acrioribus ideisque obscuris nimium obsequatur, ut memor illius admonitionis Joan. IV: 24. Πνεῦμα ὁ Θεός· καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν, summam in cognoscendis rebus divinis claritatem consectetur, nullamque religionis vim in hominis intelligentia et ratione non ponat praecipue. Idcirco enim Jesus in mundum venit ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν ἐν τῇ σκοτίᾳ μὴ μείνῃ.

Sed sit ita, ut nonnulli mysticâ quadam unione ad interiorem nescio quam divinae naturae societatem perveniant ceteris mortalibus ignotam, ut in puro, intimo ac divinitus instillato amore conquiescant: is amor, si hanc vim habeat, ut homo Dei propius spectandi cupidine mortem sibi consciscat, magnopere discrepat a vero Dei amore, quem Jesus et Apostoli nobis commendarunt. Ex horum praeceptis qui Deum amat, non is vitam sibi adimit, sed alacer et promtus est ad voluntatem divinam exsequendam, ad conandum et efficiendum omne bonum, justum, honestum, decorum. Vitae diuturnitatem potius quam mortem ille desiderat, quo diutius sit divinae providentiae minister, imo socius atque adjutor. Tali amore, qui totum animum occupat non solum, sed et hujus vires ex-

citat, movet, gubernat, flagrasse scimus tot probos ac fideles Dei servos, consiliorumque divinorum exsecutores. Ut nihil jam dicam de Abrahamo, de Mose, de Davide ac tot aliis Dei cultoribus apud antiquos Hebraeos, ut de ipso Jesu Christo nunc taceam, illius amoris illustrissimum exemplum edit Paulus, qui summo animi candore profitetur, se neque per mortem, neque per vitam, neque per angelos, neque per principatus, neque per instantia, neque per futura, neque per sublimia, neque per profunda divelli posse ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (Rom. VIII: 38); et tamen ab inertia, desidia, ignavia longe alienissimus omnes vires per aestates atque hiemes, per noctes atque dies muneri sibi demandato consecravit et augendae saluti humanae amplificandaeque gloriae divinae unice vixit. Quantum ab eo distant, qui ut ad visionem Dei perveniant, vitam abjiciunt, quam retinere debebant ob Dei amorem! Sed nolo diutius morari homines, quos aut Fanaticismus, aut Mysticismus aut immoderatus Scepticismus nonnumquam adeo male sanos reddidit, ut tandem de vita sua decernerent, eamque iotu nefario exstinguerent. Ad istos pertinet dictum Domini ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει.

Unum tamen non omittendum esse puto, scilicet internos animi angores ex commissa culpa contractos. Non ignoramus, quam vehemens, quam horribilis sit conscientia malefactorum, quam miseranda conditio eorum, qui ejus stimulis agitantur, vel adeo morsibus lacerantur. An igitur homines scelerum

conscientia turbatos et ad desperationem compulsos recte facere putabimus, si animam sibi extrahant? Fatendum sane videtur, hanc causam omnibus reliquis praevalere: nam magna vis est conscientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint (1). At in hac quoque causa egregie elucet religionis nostrae praestantia. Hic silentium imponitur philosophis. Quis eorum laboranti succurrat? quis dolorem depellat aut saltem leniat? quis demonstrationibus aut ratiocinationibus peccatorem ad tranquillitatem revocet? Imo a Jesu Christo petenda est desperantibus medicina: nec est ulla ex fatis aut contractâ culpâ tam magna aegritudo, quin major sit vis Euangelii, qua sanari possit animus, ut, quae data est vita, tranquille placideque eam transigat. Ratio damnat peccatum, damnat et Euangelium, sed servat Euangelium peccatorem; quam sententiam Paulus secutus, suam ipsius personam intuens non dubitavit dicere (ad Tim. I: 1, 16,) ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ· ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἐλεήθην, ἵνα ἐν ἐμοὶ πρώτῳ ἐνδείξηται Ἰησοῦς Χριστὸς τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν, πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Non igitur desperent peccatorum onere depressi, sed veniant ad Jesum, qui omnes vocavit, omnibusque promisit κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. — Attendamus quaeso Pauli hac de re sententiam (II Cor. VII: 10): duplex est λύπη, altera

(1) Cf. cic. pro Milon. c. 23.

κατὰ Θεὸν, quam homo Christianus sentit, altera λύπη τοῦ κόσμου, quae occupat eos, qui Christum Servatorem non cognoscunt. Posterior θάνατον κατεργάζεται, hinc igitur favet αὐτοχειρία: prior contra μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται, et mirum quantum differt a morte voluntaria! Talem ac tantam vim non exserit philosophia, ad eamque frustra confugit animus desperantis opemque frustra petit. Potest illa cultores suos monere, *optimum portum poenitenti esse mutationem consilii*, sed numquam persuadebit: *post mortem in morte nihil esse, quod metuat, mali* (1). Quodsi suadere audeat, *exorna turpem vitam morte scilicet honesta:* desperatio non tollitur, nec αὐτοχειρία per se illicita justam reperit excusationem. Non indiget ejusmodi excusatione, ne dicam laude, qui πίστιν Christianam in pectore aluit fovitque, bene perspiciens, Christum sibi sufficere. A mortis temerariae cogitatione abhorret, hac tamquam voce coelesti admonitus: *hucusque vita tua fuit mors, cura ut in posterum vitâ honestâ mortem exuas:* memor ille dicti sanctissimi: ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δυναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. (II Cor. XII: 9).

Restat, ut breviter agam de *quarto causarum genere*, quod in eo positum est maxime, si decipimur in judicanda ipsius facinoris honestate dubitamusque utrum liceat an non liceat, deque viis, quas ineamus ad consequendum bonum aliquem propositum finem. Quod ad posterius attinet, saepenumero homines eris-

(1) Cf. Plautus, Captiv. III. 5. v. 84.

timant, ad bonum consequendum sibi licere qualemcunque rationem. Ita etiam fuerunt, qui mortem sibi consciscerent, ut citius in coelum abirent, quorum stultitia manifestissime abhorret a praeceptis Euangelicis, quibus vetamur, facere malum, ut inde bona oriantur. (Rom. III: 8.) Et quis ratione usus sibi persuadeat malam actionem nobilitari posse, dummodo ex pio consilio procedat?

Sed vix dici potest, quantum nocuerint argutiae eorum, qui αὐτοχειρίαν defendere conati sunt speciosissimis verborum lenociniis, quorumque oratio copiosa et elegans tamquam dulci condita veneno lectorum animos secum abripit, praesertim imbecilliora ingenia opprimit atque occupat. Quid magis impium esse potest, quam divina ratione turpiter abuti et contra veram hominis salutem philosophari ac disputare? At sunt istorum naturae humanae et Providentiae divinae calumniatorum argumentationes partim ejusmodi, ut intelligi prorsus nequeant, partim ita comparatae, ut peritus facile videat, pudorem libidine, rationem amentiâ vinci: et accidit hic quoque, quod Cicero monuit, (Praef. ad parâd.) «nihil esse tam incredibile, quod «non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam «incultum, quod non splendescat oratione et tamquam «excolatur.» Sed non caruerunt tristissimo effectu: quare dolendum est profecto, fuisse viros ingenii acumine conspicuos et eminentes, qui sese philosophos jactando imperitis imponerent, eorumque oculos praestringerent occoecarentque: dolendum, quod nonnulli tantam auctoritatem consecuti sunt, ut multitudo ra-

tum haberet, quod probatis scilicet viris probatum vidisset: dolendum, quod religionis Christianae gravitas ac severitas apud tot homines vanae et fallaci sapientiae hujus saeculi cedere coepit. In contemptum enim venit vera Philosophia, quae sapientiae studio virtutisque amore continetur: quam qui profitentur, gravissimam in Republica Christiana personam sustinent. Satius profecto erat, homines perpetuo labantes erigere ac sustinere, quam callidis fallacibusque ratiocinationibus virtutem labefactare. Festivi, imo pessimi illi sophistae, qui hoc agunt, ut neglecta communi omnium salute, hominibus persuadeant, magnitudinem animi in eo cerni, si quis e miseriis atque aerumnis sponte exeat, hujusque corporis vinculis se ipse liberet: quantopere differunt a Christo et Apostolis omnibusque, qui horum praeceptis et exemplo ducti saluti communi consulunt! Nonne isti, si vel audacter nomen Christianorum profiteantur, hostes potius Christi dicendi sunt, quam asseclae fideles?

At a proposito jam aberravit disputatio; neque opus est, ut moneamus, eos, qui doctrinam Christianam sincere profiteantur, non secuturos esse aliud exemplum, quam illud Domini nostri ejusque amicorum, qui vestigia Κυρίου presse secuti sunt. Itaque haud abs re erit horum adjicere exempla magna eaque perfecta, ut pateat, quomodo discrepent ab istis, qui adversâ fortunâ confugiunt ad αὐτοχειρίαν. Nemo fere est nescius, Jesum, cum versaretur in terrâ, ut patefaceret doctrinam coelestem, populum docendi, hominumque causâ durae Patris obediret voluntati,

doloribus summis, omnibusque cruciatibus esse afflictum. At ille quid? evitavit mortem, quamdiu potuit, ut opus sibi demandatum accurate perficeret. (Joh. VIII: 29, X: 39.) Quum vero hora advenisset, quâ Patris gloriam illustraret, non amplius vitae suae pepercit, sed promtus atque alacer divinae voluntati totus se submisit. Praevidebat suam mortem, non tamen quaerebat: ut omnes naturâ, sic et ille a morte abhorrebat. Hinc gravissimi dolores, hinc angores vehementissimi, hinc denique animi cruciatus in horto Gethsemanes. Ad Deum jam confugit eumque precatur, ut liberetur ex calamitate, *Pater*, inquit, *tua fiat voluntas*; sic ille haud gravatim vitam dedit in hominum salutem. (Joan. X: 10; XV: 13.) In judicium vocatus nihil facit, quo mortem, quamvis poenam injustam, avertat. Interrogatus breviter ille respondet, sed dignitati suae congruenter, et quod verum esse novit, profitetur usque ad crucis supplicium. Quare si quis quaerit, quid faciendum sit in summis aerumnis, miseriis, doloribus, dubitatque de vita profundenda an conservanda; adeat ille historiam Jesu, eam legat relegatque, et, si admiratione extra se rapitur, ut par est omnino, eandem obedientiam perfectam sibi proponat, exemplumque ad imitandum sibi datum esse agnoscat, haud vulgare illud, sed vere divinum.

Neque aliter Apostoli; gaudebant de malis, quibus Christi causâ erant afflicti (Act. V: 41): persuadebant reliquis, ut fidem servarent, quippe quos per multas miserias intrare oporteret in regnum coeleste. (Act. XIV: 22.) Hinc Paulus profitetur, se suam vitam non

tanti facere, ut ejus jacturam horreat, dum cursum suum laeto animo absolvat et opus sibi demandatum perficiat. (Act. XX—XXV.) Cum autem vitam malleat relinquere, ut citius conjungeretur cum Domino, ne cogitavit quidem de consciscenda sibi morte, sed studuit contra, ut Domino placeret. (II Cor. V: 8. Philip. I: 22.) Sed hi omnes ita vixerunt, ut mortem timere non possent, et ita sunt mortui, ut coronam vitae aeternae se adepturos esse gauderent. (II Tim. IV: 7.)

Verum haec sufficiant. Exposui, ut potui, quomodo summatim αὐτοχειρίας causae reprobandae sint ex indole religionis nostrae. De singulis dicere non opus esse putavi, quoniam ex genere ad partes concludi potest: atque hoc spectavi praesertim, ut opponerem illis causis earumque effectibus imaginem hominis Christiani: ex qua oppositione conclusio ducenda erit, ut tenebris τὸ φῶς, sic et αὐτοχειρίᾳ plane esse contrariam Christi doctrinam. Reliquum est, ut praecipua, quibus usi sunt acutissimi defensores, argumenta refellere conemur.

§ 4. *Argumenta, quibus αὐτοχειρία defenditur, ex indole religionis Christianae refelluntur.*

Accedamus igitur ad refutationem eorum, qui defensionem mortis voluntariae susceperunt: qua in re ita versabimur, ut ad superius dicta exigamus adversariorum opiniones. Initium duci poterit ab iis argumentis, quae reliquis habentur acutiora et nervosiora; his enim solutis, alia quoque corruent. Jam vero mirum videri non debet, inter atheos vel atheismo proxi-

mos invenisti *αὐτοχειρίας* patronos. Quid enim sanctum esse potest hominibus adeo stolidis, ut divinam naturam sublatum eant? Sed non est hujus loci, eos refutare, qui, Deo negato, omnem Christi doctrinam repudiant: scriptorem igitur famosi libri, *Systeme de la nature* non morabimur. Nec multo pluribus opus esse videtur, ut per singula eundo refellamus, quae subtilis ceteroquin philosophus in Anglia, Scepticus DAVIDES HUMIUS scripsit, disertis negans verbis, *αὐτοχειρίαν* esse peccatum. Quam quidem opinionem tribus his argumentis defendere conatus est: primo, *qui vitam sibi adimat, non violare officia erga se ipsum*, deinde *nec in alios injuriosum esse:* denique *nihil facere contrarium iis, quae Deo debeantur*. De prioribus deinceps videbimus, ubi ad Franco-Gallorum celebrium MONTESQUIEUII et ROUSSAUII perventum erit ratiocinationes: quod autem ad tertium, hac fere ratione id proponitur; homo pro suo arbitratu utitur viribus, quas accepit lege naturae. Haec lex si non permitteret *αὐτοχειρίαν*, homo mortem sibi consciscere *non posset*. — At hoc quidem apparet, quidquid physice possimus, id nobis nondum licere: nam si liceat, tollitur omnis moralitas, qua sublata, hominis dignitati nullus relinquitur locus. An statim a Deo nobis conceditur, quod virium nostrarum efficacitatem non superat? furari, mentiri, scortari, homicidium committere aliaque flagitia? haec omnia possumus saltem, sed lex ea vetat, neque lex naturae tantum, sed illa praesertim quae disertis verbis in Euangelio expressa est. Neque aliud est legi obedire, quam viribus, quas dedit natura, modum praescribere, ne

abutamur illis, quoad possimus physice. Itaque si id permissum est, quod fieri potest, omnia quoque maleficia licebunt. Imo haec est illa luctatio, quam Paulus significavit, legem carnis opponens spiritui, qui debeat carnis cupiditates aut temperare aut radicitus evellere. At, inquit, Deus vitam hominis submisit voluntati, ipsumque hominem interdum *impositâ quadam necessitate* eo compellit, ut de vita sua pro arbitrio statuat ac decernat. Quodsi Deus sibi reservasset jus de vita nostra decernendi, non minus illi peccarent, qui eam sustentant, quam qui sibi mortem inferunt. — Ita fere ille, argumentatione usus spinosa magis quam subtili, quae quantum repugnet doctrinae Christi satis superque patet ex iis, quae supra diximus de Deo vitae datore, deque vita nostra ut educatione morali. Illa vero necessitas, quam memorat auctor, nunquam adest. Certe, dicit fortasse, ubi per morbos insanabiles perque alia, quae contingant, Deus indicat, se nunc velle, vitam poni. — Minime vero Deus indicat, quod si vellet, clare et disertis verbis juberet: nunc ipse, vitae quippe dator et dominus, si destrui cupiat, nobis eam adimet. Sed objicit forte quis, *cui bono longius tolerata miseria?* sunt, quae respondeam; ut cruciatuum patientia illustrior reddatur, magisque elucescat, quo alii videant, quanta sit religionis Christianae in tolerandis doloribus, in perferendis calamitatibus vis et efficacitas. At, jam *non amplius quid boni praestari a me potest.* Potest omnino, si vel nihil aliud sit praeter istam tuam patientiam et animum Deo se lubenter subjicientem. Sed jam *consolamatum*

est de omni salutis recuperandae spe, ergo Deo gratum esse non potest, ut diutius doloribus me excruciandum praebeam. Quî scis? Numquamne accidit, ut, de quo jam desperarant Medici, quem semianimem, in agone mortis constitutum reliquerant, is tamen revisceret et ad pristinam valetudinem viriumque integritatem rediret? Numquam ergo jubemur nostra mori manu: numquam sine jussu licet. — Hoc consequitur ex summo Dei unius, qui in vitam, *quam ipse dedit*, jus habet, imperio et majestate. — Accedit Providentiae divinae, cuncta (etiam vivendi et moriendi causas) sapienter, sed et pro imperio moderantis consideratio: qualem *sola* Chrsitiana Religio nobis cognoscendam praebet, sola informat. Denique peculiaris hominum Christianorum necessitudo cum Domino, quae veras vitae causas continet, ut transigamus vitam vere vitalem.

Reliqua argumenta, quae proferuntur ab illis, qui mortem voluntariam tuentur, haec duo sunt, *vitam esse beneficium donumque Dei, cuique vero licere, illud, quod dono acceperit, si displiceat, abjicere;* alterum, *licere omni modo dolores a se avertere*, cum *ipsa natura ad eam aversionem instituti simus.* Quae argumenta tam fuse pertractata sunt a MONTESQUIEVIO et ROUSSAVIO, tamque eleganter proposita, ut multorum perturbaverint animos, qui cum his acutissimis auctoribus, quos tanti faciebant, malebant errare, quam cum sapientibus Christianis vera sentire. Cum illis igitur disputandum erit, ita tamen, ut non singulas eorum voces spectemus, sed vim et nervum argumentationis consideremus; ordine ergo procedat refutatio

necesse est, praesertim cum admirabilis sit series argumentorum, ut alia ex aliis nexa et omnia inter se apta colligataque videantur. Ordiamur ab eo, quem primum nominavi (1).

I. Ponit ille *αὐτοχειρίαν* in *remediis, quae nobis sint propria* ad avertendum dolorem. Quodsi aliquis calamitosâ utatur sorte, aut despectus sit ab iis, quibuscum vivit, adhibeat remedium, quod ad manus est. — Animadvertamus quaeso, ipsum principium *quidquid homo possit, id ei licere*: an hoc a natura aut ratione dictatum? minime profecto, nam vel illi, quibus non affulserat Christianae religionis lux divina, solâ tamen ratione duce, contrarium semper ratum habuerunt, ut CICERO Or. Phil. XIII. 6. egregie dicit «*neque quod quisque potest, id si licet: nec si non obstatur, propterea etiam permittitur.* — Verum, quid religio nostra? negat illa et pernegat, ejusmodi remedium in nostra potestate esse positum: nam jus vitae et necis soli Deo adscribit, qui nos posuit in statione terrestri, qua uteremur, ut viveremus in ejus gloriam et ad nostram ipsorum promovendam salutem. «At est illud in manibus:» hoc facile largior, sed omnia peccata sunt ejusmodi, ut possint committi; quae res si aliter esset, haud puto ullam fore virtutem, quippe quae consistit non modo in agendis iis, quae honesta, sed etiam in omittendis,

(1) Cff. *Lettres Persanes*, n. 76.

I. «Quand je suis accablé de douleur, de misère, de mépris, «pourquoi veut-on m'empêcher de mettre fin à mes peines, et me «priver cruellement d'un remède, qui est en mes mains?»

quae turpia sunt aut nobis esse videntur. Etenim Deus libertatem concessit hominibus, ut ea fruerentur, non vero, ut abuterentur: qui abutitur, is peccat, qui autem peccat, agit contra Dei voluntatem; atque haec est summa agendi norma, nobis innata cum ratione, illaque confirmata Jesu Christi ejusque Apostolorum dictis. Quoniam vero ipsa revelatio eo consilio hominibus data est, ut ex θανάτῳ, qui sequitur peccandi consuetudinem, extraherentur in ζωὴν, quippe beneficium, quod Deus pollicitus est omnibus, qui fidem Christo dederint ac servaverint: aliud remedium esse nequit, quam hoc datum a doctrina Christiana. Quam qui profitetur, de consciscendâ sibi morte ne cogitare quidem potest. Verum homines, quibus punctum, quod vocant, honoris tam carum est, ut, eo amisso, ipsorum vitae suavitatem sublatam esse putent, adeo non pudet gloriari, quod hoc remedium non timeant, ut dissentientes tamquam ignavos prae se contemnant: an igitur isti, si vel concedamus tale remedium paratum esse, ejus usum credunt esse nobilis, generosi, vere masculi animi? Nonne potius ex hoc intelligi potest, illud respuendum esse, et ignaviae, quae usum commendet, resistendum prorsus? Nam ipsa Christianae Ethicae auctoritas eos frangit, cum nobis in vitiuto mediocribus esse non concedat. At, objiciet forte quis, si doloribus nullus sit exitus praeter αὐτοχειρίαν? Quid? eo ipso, quod credit, nullum meliorem esse exitum, abnegavit jam religionem Christianam, docentem illam, Deum esse patrem omnia curantem hominesque benigne instituentem.

II. *Societas hominum, in qua versor, facta est me invito, nec obligatione teneor in eâ manendi diutius, quam mihi placet.* Imo propter id ipsum, quod ejus societatis, in qua versamur et cujus commodis fruimur, nos non sumus auctores sed in eâ constituti Deo volente, qui et illam condidit, non licet pro arbitratu nostro, nos abdicare vitamque abjicere. Praeterea absurdum est meditari fugam, ubi nullus fugae locus. Nam si corpus deposueris, pervenisti in ejusdem societatis partem alteram, quae nexu tam arcto jungitur terrestri rerum ordini, ut una sit civitas et ejusdem civitatis unus idemque Rex. Mortem tibi consciscens, ut imperium domini effugias, ad ipsum dominum confugis, haud secus atque servus, qui herum effugere cupiens, ex famulari contubernio libertati suae consulturus in ipsius heri domum venit. Sed ille, qui vere imbutus est Christi doctrina, se a Deo pendere, ut a parentibus liberi, in omnibus agnoscit, neque is manus sibi diras inferre potest.

III. *Consilium societatis humanae est utilitas mutua; quodsi societas mihi oneri est, quis me impediat, quominus eam relinquam?* Imo est, qui te impediat: is nimirum, qui te posuit, ut viveres: nec potest oneri esse vita, si ad rectam rationem eam dirigas et facto ostendere studeas, te esse Christianum. Id enim,

---

II. «Pourquoi veut-on que je travaille pour une société, dont je «consens de n'être plus; que je tienne malgré moi une convention, «qui s'est faite sans moi?»

III. «La Société est fondee sur un avantage mutuel, mais lorsqu'elle me devient onéreuse, qui m'empêche d'y renoncer?»

sit jam supra vidimus, patet ex indole Christianae religionis. A Deo nos toti pendemus, qui quum in hoc rerum ordine nos collocaret, aeternae saluti nostrae consuluit: vivere non debemus nobismetipsis, sed Deo; cujus cultus ita cum nostra utilitate conjunctus est, ut ab eo nihil sine utilitatis nostrae respectu praescriptum sit. Tum vita non modo beneficium est in nos collatum, sed etiam depositum, quo lucrum faceremus. Denique vita nobis non est malum, quippe omnia mala, quibus mortales vexantur, gravissimique dolores, quibus animus torquetur, viae sunt ac rationes, quae ad Deum nos ducant; quae virtutem nostram excitent atque exercent; quae educationem nostram perficiant, quo digniores fiamus vitâ futurâ in regno Christi. Id igitur, quod tu vocasti *onus*, est ratio, quâ tuam ostendere debes virtutem, id est, fidem in Deum, officia erga alios, atque amorem erga te ipsum. Sit ita, ut multorum durissima conditio *onus* vocetur; confugiant hi ad Christi doctrinam, quae, remota omnium opinionum falsarum vanitate, moestitiam pellat ex animis; quae, consolationibus divinis praeceptisque datis optimis, non exhorrescere metu nos sinat; quae certissimam se nobis ducem praebens ad veram voluptatem doceat, quomodo in tranquillitate vitam possimus traducere eamque relinquere animo sedato, scilicet fide, amore et spe, quae sunt per dominum nostrum.

IV. *Vita nobis data est ut beneficium: quodei*

IV. « La vie m'a été donnée comme une faveur, je puis donc « la rendre, lorsqu'elle ne l'est plus: la cause cesse; l'effet doit donc

beneficium esse desiit, reddere possumus. Omnis hujus argumenti error in eo est positus, quod vita transiisse putatur in nostram potestatem. Praeter ea, quae jam fusius diximus de nostrâ vitâ, notatu digna sunt REINHARDI (1) verba, quibus hanc opinionem refutavit: «ludunt,» inquit, «vocabulo *doni*. Est vita Dei donum, «quoniam optabilius est, esse quam non esse, quo«niam Deus eam sponte tribuit; quoniam denique cum «multis bonis conjuncta est, quibus, si non essemus, «parendum foret. Sed quod in aliis donis fieri solet, «ut is, qui dat, de jure suo decedat, donum ipsum «ejus, qui acceperit, arbitrio prorsus relinquatur: id «in hac causa secus est. Latius enim patet vitae notio. «Nam Deus, qui dedit, semperque conservat, eam «ob causam et largitus est et tuetur, ut tanta re uta«mur ad colendam, quam ipse necessario postulat, «virtutem et augendam generis humani salutem. Unde «effitur, ut nemo sit *suae vitae dominus*, cum «vita *depositum* sit, quod sine summo scelere non «possit negligi, sed ei, qui credidit, cum postula«verit, reddi debeat.»

VIII. *Dum vivo sub legibus, iis obediam necesse est; sed iis tantum tenor, si non amplius sim sub earum potestate.* Haec sententia valet de legibus imperii vulgarium humani, quae obstringunt tantum eos,

---

«celser, aussi, » « Dieu différent de tous les bienfaiteurs, veut-il «me condamner à recevoir des graces qui m'accablent?»

(1) Op. I. p. 90.

«Je suis obligé de suivre les loix, quand je vis sous les loix; «mais quand je n'y suis plus, pourvoient-elles me lier encore?»

qui vives sunt. De legibus divinis secus est: hae enim non pertinent tantum ad vitam terrestrem, sed ubique vigent et sunt sempiternae. Nam non scripta, sed nobis insita ea lex aeterna est simul cum ipsius Legislatoris notione. Qui igitur vitam sibi adimit, non est in eius legis potestatem; imo, veniet ille tum in locum remunerationis, ubi Judex praemiis coronat, qui virtutem coluerunt et Paternae voluntati obediverunt: sed poenis mulctabit, qui neque obtemperarunt neque fidem retinuerunt usque ad finem. Quid enim putas illum judicem facturum? Num tu ejus oculos effugies non animadversus? Num ille te negliget aut dissimulabit tanquam non pertinentem ad imperium suum? Idque propterea, quod tibi ejus gubernandi ratio displicuit? Absit, ut talia cogites; stat firma sententia, semel hominibus moriendum esse, deinde subeundum Judicium. Nam ita, quod vidimus supra, haec nostra vita cohaeret cum altera, quam post corporis dissolutionem futuram speramus, ut, quidquid a nobis, dum hic viveremus, aut peractum sit aut omissum, ingentis futurum sit momenti in sorte olim nobis adsignanda. Infelix ergo, qui legibus divinis obsequi non vult, easque haud recte intelligit, contemnit ac prorsus perfringit.

VI. *Qui mortem sibi consciscit, is non perturbat*

VI. « Troublé-je l'ordre de la Providence, lorsque je change les « modifications de la matière et que je rends quarrée une boule que « les premières loix du mouvement, c'est-à-dire, les loix de la création et de la conservation avoient fait ronde? non, sans doute; « je ne fais qu'user du droit, qui m'a été donné; et en ce sens je

ordinem naturae a Deo constitutum, sed jure dumtaxat utitur sibi concesso.

Cujusmodi sit illud jus supra jam exposuimus; hic modo addatur: nobis non licere, ea potestate finiendae vitae uti pro nostro arbitrio. Sic enim res se habet: amor vitae est instinctus, sed ratio adest, quae dirigat illum instinctum. Huic si homo nimis indulgeret, ut vitam quovis modo conservaret, locum habere non posset ea mors, quae voluntaria et consideratione officii ducta in laude ponitur ab optimis quibusque judicibus. Flagitante igitur officio homo potestatem habet vitam periclitandi, sed jus ei non competit, pro lubitu huic rerum ordini se subtrahendi (1). Id enim si liceret, omnis virtus, omne decus, omnisque religio essent nomina vana, significatione et sensu carentia. Neque homo is est, qui actionibus suis perturbet ordinem Providentiae divinae: nam Deus omnia ita gubernat, ut in finem optimum semper congruant et ex pravis, quae homines faciunt, haud raro varii generis bona redundent. Sed hoc non est, quod urgeatur: quis enim tam caecus in contemplandis rebus divinis umquam fuit, ut non intelligeret, talem esse divinae gubernationis rationem per se quidem perfectam. Ille vero aliud quid intelligit hominem dicens Providentiae se non opponere, qui mortem sibi inferat ipse. Nam hoc remedium, quippe nobis concessum a Deo, pertinere putat ad ipsum providentiae ordinem. Nullo igitur jure

« puis troubler à ma fantaisie toute la nature, sans qu'on puisse dire « que je m'oppose à la Providence. »

(1) Vid. KAUS, l. l. 2er Theil p. 205.

eum uti praeter id, quod ordo divinus ei tribuat. At hoc ipsum negandum est omnino, nisi forte ludamus in voce Divinae providentiae. Quid enim est, migare leges a Deo praescriptas, si non est, cum pro nostro arbitratu, quae velimus, agimus unice, nostrae voluntatis non Divinae habita ratione? Nobis autem in vita tamdiu manendum est, quoad Ille, qui nos posuit, vires vitales suppeditet, quibus amissis ex ordine divino mors sequatur necesse est. Quantum in se est, ordinem Divinum turbat, qui ejus legibus immorigerum se praebet. Sed qualem ordinem? illum puto suae salutis, quem, ut eum redderet felicem, Deus constituerat. Qua de re supra dictum est uberius.

VII. *Omnium argumentorum, quibus homines a morte sibi consciscenda avocari solent, primarius fere est ingens ipsorum sed inepta de se opinio ac superbia, sua scilicet magnitudine stupentium et se tanti esse existimantium, ut ipsis carere mundanus rerum ordo nullo pacto possit.*

Quid vero? quisquis attente legerit Codicem Sacrum, Christumque in eo audiverit loquentem, is, hominem non exigui pretii esse facile sibi persuadebit. Est enim homo in terrâ quasi Deus quidam, qui pleraque

VII. «Toutes ces idées n'ont d'autre source que notre orgueil; « nous ne sentons point notre petitesse, et malgré qu'on en ait, nous « voulons être comptés dans l'univers, y figurer, et y être un objet « important. Nous nous imaginons que l'anéantissement d'un être « aussi parfait que nous, dégraderoit toute la nature; et nous ne « concevons pas qu'un homme de plus ou de moins dans le monde, « que dis-je, tous les hommes ensemble, cent millions de têtes, « comme la nôtre, ne sont qu'un atôme subtil et délié, que Dieu « n'aperçoit qu'à cause de l'immensité de ses connoissances.»

sibi accommodat, multa suo nutu regit, seque Deo similem et quasi cognatum esse sentit. Ad *imaginem* Dei conditus ille dominium habet in res creatas omnes, quas natura commoditatibus atque usibus nostris destinavit. (Gen. I: 26. Ps. 8.) Mentis autem facultates, quibus eum creator instruxit, ita excolere potest, ut etiam interior fiat illa cognatio divina, et ad culmen quoddam excellentiae evehatur natura humana. Nam quid est Ratio, quâ belluis praestamus, nisi veluti *divinae particula aurae?* per eam quidem conjecturâ perspicimus, argumentamur, refellimus, conficimus aliquid, concludimus, veritatem omnem persequimur. Simul intelligitur, hominem ad percipiendam veraе felicitatis honestissimaeque voluptatis dulcedinem esse aptissimum. Nec tantummodo hujus terrae sumus incolae praestantissimi, sed ea ipsa cum Deo cognatione erigimur ad coelum, quod conspicimus ut domicilium futurum, magnamque civitatem, cujus et nos pars sumus quamvis exigua. Jam non urgeo nostram singulorum salutem cum publica felicitate ita copulatam, ut Scriptores Sacri Angelos inducant mortalibus ministrantes, et si quid nobis feliciter eveniat, laetantes ac congratulantes. (Luc. II: 13, XV: 10. Hebr. I: 14.) Deinde nostrae naturae tanta est praestantia, ut nullis terminis includamur, sed perpetuo ad altiora tendere nobis liceat; quid ergo est, quod jactant illi, naturae nostrae nihil commercii esse cum rerum terrestrium turba ac colluvie? Vera ζωὴ sane non est hujus terrae cancellis circumscripta, sed alii rerum ordini eique perfecto destinati sumus. Hunc assequi non possumus

nisi per viam divinitus monstratam. Quid igitur in terra virtute divinius et quid natura humana praestantius? quanti pretii est habendum animans, quod Deus sua imagine tamquam nota peculiari insignivit? Sed missis, quae eodem pertinent, hoc unum addam, ipsum Deum tanti aestimasse mortales tantoque eos amore prosecutum esse, ut qui aberrassent, ad se reduceret misso filio suo Unigenito, qui pro incredibili benignitate sua nostrum genus servatum restitueret. Nonne omnia divinae Providentiae consilia per Scriptores Sacros nobis patefacta eo referri debent, ut summam Dei curam erga nos luculentissime testentur et quod huic curae consentaneum est, nobis ad evidentiam persuadeant de nostrae naturae dignitate? Ea vero, quae Jesus in his terris docuit, peregit ac peragi voluit, nonne omnia tendunt ad juvandam hominum salutem eosque in aeternum beandos? Quodsi Deus tanti nos facit, quanti eum genus humanum omni tempore fecisse scimus, ut ipse ad se evehere suaeque perfectioni ac beatitati propius nos admovere decreverit curaveritque, quantae stultitiae et inhumanitatis consebitur, humanam naturam adeo despicere ac deprimere, ut per abusum virium nobis concessarum ipsi vitam nostram tamquam rem vilem ac futilem profundamus!

Haec post alia multa superius dicta sufficere arbitror ad enervanda MONTESQUIEVII sophismata. Veniamus ad ROUSSAVIANA argumenta: haec nituntur principio universali (1), *jus esse a naturâ nobis*

(1) Cf. Nouv. Hel. p. III. Ep. 21. «Chercher son bien et fuir son «mal en ce qui n'offense point autrui, c'est le droit de la nature.»

tributum, ut appetamus quod nobis sit bonum, fugiamus quod nobis sit malum, dummodo nemini injuria fiat. Hoc in universum recte se habet; sed admisso illo veluti principio, quae inde deducit vir ingeniosus minime admittenda videntur. Recensemus praecipua:

I. *Si vita*, inquit, *nostra nobismetipsis malum est, aliis bonum non est, licebit eam abjicere.*

II. *Vita nobis data est, ergo transeuit in nostram possessionem.*

De his duobus jam satis diximus ad *Montesq.* I et IV.

III. *Si membra aegra resecantur ad ipsum corpus servandum: quid impedit, quominus totum corpus, si premat animum, exuamus ad nostram salutem servandam?*

Sed quae dicuntur de membris pravis aut debilitatis, nihil pertinent ad hanc rem. Nam patimur nonnumquam hementiores saepe dolores, dum Chirurgis praebemus corpus nostrum, ut urant aut secent partes perniciosas nobisque molestas: sed eam ob causam patimur, ut deinceps corpore ad pristinam sanitatem et integritatem, quantum ejus fieri possit, restituto, et ad quae-

I. « Quand notre vie est un mal pour nous et n'est un bien pour « personne, il est donc permis de s'en délivrer. »

II. « Que disent là-dessus nos Sophistes? Premièrement ils regar- « dent la vie comme une chose, qui n'est pas à nous, parce qu'elle « nous a été donnée; mais c'est précisément parce qu'elle nous a été « donnée, qu'elle est à nous. »

III. « Si je sacrifie mon bras à la conservation d'une chose plus « précieuse qui est mon corps, je sacrifie mon corps à la conserva- « tion d'une chose plus précieuse qui est mon bien-être. »

libet opera peragenda utamur, et ad licitas honestasque voluptates fruamur. Porro ex ipsius Jesu dictis facile perspicitur, melius esse mutilato corpore vitam aeternam ingredi, quam integro corpore dejici in πῦρ αἰώνιον. Oculis manibusque non parcere jubemur animi conservandi causa, quod tamen ipsum tropice, non proprie accipiendum: corpus vero totum perdere jubemur nusquam. Accedit quod corporis dissolutio non est via ad servandum animum, quoniam utrasque partes conjunxit Deus, ut praestantiorem potissimum excoleremus ac perficeremus, et sic nostrae saluti sempiternae consuleremus. Verum nihil prorsus valet illa computatio. Nam corporis partes vitiosas et pravas, si sanari non possunt, eo animo amputari aut avelli patimur, ut reliquae conserventur integrae, non ut fiat mera dissolutio, quippe quam naturâ duce perhorrescimus. Praeterea hoc quidem perspicuum est, homini, qui ita, ut Roussavius praeit, contortius raciocinetur, minime constare, se corpus vovendo animum servaturum. Verisimillimum certe non videtur, ut id, quod salutem suam (son bien-être) vocare licet, hoc pacto consequatur. Quis enim ab inferis in terram redux ipsum de iis, quae ibi locum obtinent, certiorem reddidit? Fallit ergo et ab hac parte argumentum: et periculum est, (ut nihil gravius dicam) ne ipsi accidat, quod cani in fabulâ, quem cum carne flumen tranantem, adspecta imagine sua, alterius escae inhiantem suam omisisse ferunt.

IV. *Quando mea conditio est ejusmodi, ut to-*

IV. « Quand je meurs naturellement, Dieu ne m'ordonne pas de

lerari amplius non possit; Deus ipse me jubet vitam deponere. Praeclara vox! caveamus ne fallacibus argutiis in errorem inducamur. Omnium populorum sapientes jam ante Christum laudarunt illum, qui se efferret supra omnia hujus terrae mala, qui animi magnitudinem ostenderet in calamitatibus doloribusque magnis, qui sine aegritudine, sua sorte contentus et sine metu vivere posset. An igitur illi ab hac parte errarunt? an homo Christianus, constans ille in calamitatibus surdus videtur, quippe qui non audiat Deum in mediis istis malis jubentem *consecise tibi mortem?* Nequaquam certe; verumtamen, haud sine jure, ROUSSAVIUS dixit, sonare in his calamitatibus vocem Dei, sed qualem? Est illa haec, toti Scripturae Sacrae congrua nobilissima vox, *vive virtuti, Deum cole, immortalitatem tuam recordare.* Repeto, quod aliquoties dixi, virtutis exercendae causa hominem vexari malis gravissimis; marcet enim sine adversario virtus, nihilque magni, nihil praeclari sine molestia perficitur. — Num si vitae jucunditas morbis gravioribus aut diuturnioribus impeditur, statim sonat illa vox divina, ex qua distincte cognoscamus, nobis esse abeundum? Minime vero, nisi forte eam vocem auditam putemus ab Attico, quem Nepos (1) narrat abstinentiâ a cibo, vitam sibi extraxisse, aut a Corellio apud Plinium (2), qui uxori liberisque supplicantibus amicis flagitantibus respondisse perhibetur, κέκριμα

« quiter la vie, il me l'ôte: c'est en me la rendant insuportable « qu'il m'ordonne de la quiter. »

(1) Vita Attici sub finem. (2) Ep. I, 12.

Siccine quos dixi anteactam vitam turpi contaminasse morte, jussu Dei egerunt?

Nimirum Dei vocem suis sibi auribus audire videntur, qui ita sunt a Deo alieni, ut ab atheismo propius absint! Certe de Christianis hoc nomine dignis id accipi nullo modo potest. His enim, quod exemplum unice suspiciant ac contemplentur, est Jesus Dominus noster; qui calicem sibi propositum tanta animi firmitate exhausit, ut ad mortem usque crucis intellectae patris voci perfectissime obediret. Sed et ille mortem subiit voluntariam! — voluntariam sane, quatenus sanctissimo patris decreto se submisit, nec tamen ipse mortem sibi conscivit, sed ab aliis illatam animose ac fortiter toleravit. Maluit enim promte et alacriter morem gerere nutui paterno, quam aufugere, quod est perfidorum ac vilium servorum. Amore virtutis id fecit, qui ipse fuit virtutis perfecta imago. Ad hunc si comparentur, quanti et quales tandem sunt isti, qui sibi vocem divinam, quae abitum jubeat, audire videntur curis molestiisque affecti, doloribus cruciati, aegritudine et aerumnis exagitati? Ignavi sunt et pavidi, hebetes ac lucifugi, qui ingravescenti malo impares statim ad desperationem adiguntur, quoniam vitae quietae ac luxuriosae adsueti obsurduerunt ad vocem illam vere divinam: Δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ, ἕως ἡμέρα ἐστίν· ἔρχεται νὺξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι.

Videt mecum unusquisque, Deum sibi ipsum repugnaturum, si homines mori vellet, nec tamen ullam graviorem necessitatem moriendi immitteret: tum de-

nium ille, ut vitam devoveamus, nos monet, si fata nostra ipsius numine ita gubernantur, ut aliquando aut officium violandum aut mors obeunda sit, nec alia via aut ratio expediendae salutis relinquatur. Ita, nisi egregie fallor, statuere debent, quibus Jesu dno-trina dux est per hanc vitam et consolatrix in calamitatibus, quibus institutum Christianum est schola, in quâ exercentur et idonei reddentur ad sublimiora nobis destinata eaque reposita in domo paterna. Optabilius sane est, ex nostro hominum judicio, cursum vitae conficere sine doloribus et rebus adversis, sed ad perfectionem consequendam praestat calamitatibus tamquam igni spectari, spectatumque probari, quam nullo tempore solicitari neque in dimicationem adduci. Talis etiam vox est religionis Christianae, quae pro singulari sua popularitate de tolerandis doloribus praecipiens ita sonat, ut ab omnibus clare intelligi possit. «Haec enim vel infimis de plebe est accommodata et penitus, (ut ait Reinhardus (1)) comparata, «ad erudiendam in rebus gravissimis mentem, ad «confirmandum et corrigendum animum, ad regen-«dam vitam, ad levandam omnem aegritudinem, ad «efficiendam mortis contentionem, ad excitandam de-«nique spem et erigendos homines, ut, spretis rebus «caducis et vanis, discant appetere bona sempiterna «et in omni actione spectare vitam post mortem, hac «longe meliorem.» Quare nos ita agere oportet et ita pati, ut pugnâ decertatâ, manifestum fiat, nos

(1) Opusc. I. p. 416.

fidem retinuisse et veram reportasse victoriam: *ὅτι ἡμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, οὐ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν.* (I Phil. I: 29). Quod qui fecerit, audiet ille divinam vocem, quae Paulum excitavit, ut scriberet *λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὁ δίκαιος κριτής; οὐ μόνον δὲ ἐμοί, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ.* (II Tim. IV: 8.)

V. *Qui mortem sibi ipse conscivit, is seditiosus non est contra providentiam divinam, neque effugit Dei imperium, sed ejus mandata exsequitur.*

Hoc argumentum magna ex parte convenit cum Montesquievianis V et VI, quorum refutationem hic non repetam. Verumtamen considerandum est, quid sit seditiosum esse; quod ubi consistit, ut equidem existimo, in contemtu legum, quarum auctoritatem non reverenti tenemur, sed amplius agnoscere recusamus, aut nemo seditiosus unquam fuit, aut is, qui se ipse interficit, seditiosus est. Iste enim perfringit vincula legis divinae, aufugere cupiens civitatem, cujus tamen civis semper manebit.

Alia ratio est mortis voluntariae, quâ quis vitam ponit officii virtutisque causâ. Hinc merito pulcherrima habetur mors, qualis fuit Reguli ad fidem servandam hostibus datam: gloriosissima, quâ noster

V. « Concevez-vous, qu'il y ait des gens assez injustes pour taxer « la mort volontaire de rébellion contre la Providence, comme si l'on « vouloit se soustraire à ses loix? Ce n'est point pour s'y sous- « traire, qu'on cesse de vivre, c'est pour les exécuter. »

van Speijk in coelum adscendit, illustri abitu dignitatem vindicans populi Batavorum patriaeque prospiciens saluti. Praetermittam alios, quorum nomina ferunatur ac celebrantur per varios orbis terrarum tractus, quosque nemo seditiosos vocaverit, quod ut munieri suo egregie satisfacerent, e vita discesserunt. Sed quomodo is, qui nullo jubente officio vitam sibi adimit, dici possit Dei mandata potius exsequi quam eludere, intelligi vix potest. Nonne ipso facto eorum arcetatui renuntiat? Sed stultissimum est, Deum velle effugere ejusque imperium eludere, quandoquidem vita futura tam arcto nexu conjuncta est cum nostra conditione terrestri, ut ab hac et praemia pendeant et poenae vel quidquid defunctos maneat. Infelices igitur, qui verborum lenocinii decepti mortem sibi conscivunt, et tamen se id impune facere posse credunt, vel adeo se legi divinae congruenter agere opinantur. At vero ipse NOVUSAVIUS Dei invocat justitiam suamque spem ponit in ejus benignitate: nam errant, qui ejus potentiam effugere se posse sperent, corpore abjecto, dum contra hujus vinculis liberati in judicium vocabimur a judice Καρδιογνώστη, unicuique daturo secundum ea, quae et fecerit et omiserit.

VI. *Sicut servus vestimentum, quod quomodo demandatum tibi opus facile perficiat, impedit, eximte abjicit, ut melius tibi possit servire, eodem*

VI « Si tu charges ton esclave d'un vêtement, qui le gêne dans le « service, qu'il te doit, le puniras-tu d'avoir quité cet habit pour « mieux faire son service? — Quand nous laissons notre corps, nous « ne faisons que poser un vêtement incommode ».

eodem modo mortem nobis consciscentes, exuimus corpus, si molestum sit. Hoc argumentum ejusdem fere generis est, cujus videtur illud Imperatoris philosophi MARCI ANTONINI (1): «si fumus est in domo, discedo, «eodem modo, si mihi vita est molesta, depono eam.» Quodque recentiori memoriâ admodum placuit FRIDERICO II Borussiae Regi.

Sed haec sophismata, ut ore projiciuntur, ita evanescant, inque fumum abeant necesse est: nam vel ipsa comparatio longius abest a veritate; ponitur servus, quem herus veste quadam includit ad laborandum manus apta: hanc autem nimis laxam, nimis pannosam, nimis calefacientem recte deponi ab eo, ut corporis membra labori melius serviant, negari omnino nequit. Sed idem non valet, si quis corpus deponat, quo deposito, ipse officinam reliquit, in qua laborandum ei erat. Ut recte comparatio instituatur, fac id, quod locum vix obtinet, herum servos eo modo vestientem, ut a veste ipsa pendeat servitus, cui ille renuntiare videtur, qui alio vestimento, aliâ in officina laborare maevult. Servorum duo sunt genera, ut hoc utar, novitii et provectiores; unicuique certus assignatus est locus. Qui recte sunt instituti, transeunt in provectiorum classem, aliam accipiunt vestem, alia officia ab illis praestanda sunt. Non tamen singulis licet pro arbitrio, novitiorum loco relicto, eorumque veste deposita, ad provectiores transire: herus enim est, qui evocat, ac seditiosum poenis

(1) Εἰς ἑαυτὸν L. V. 29.

mulctet propter id ipsum, quod locum reliquit vestemque deposuit. Deinde manifestum est, servum oportere gestare vestem, quam ut gestet ille vult, cui praestanda est servitus. — Quid igitur agit, qui vestem deponit? ut uni praecepto obediat, alterum migrat, ergo omnino non obedit.

Eadem est ratio domus, in qua officina nostra locata est: fieri enim potest (1), ut domicilium ingratum illud nostris rebus unice aptum sit. At comparatio non constare videtur. Nam si vel servo liceat vestem deponere, artifici officinam mutare, homini licere non potest, injussu Dei corpus exuere; qua de re egregius est locus ERASMI in coll. *puerpera*. Placet ejus verba referre. «Si corpus est animi domicilium,» inquit Fabulla, «plurimos video, quorum animus male habitet.» Cui Entropulus, «sic est, videlicet in aedibus pestillantibus, opacis, ventis omnibus obnoxiis, fumosis, pituitosis, laceris, ac ruinosis, denique putribus et infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem judicat, bene habitare.» — «Tolerabilis res,» respondet Fabulla, «si liceret in aliud immigrare domicilium.» Cui iterum Entropulus, «emigrare non licet, nisi cum evocat Locator. Verumtamen si non licet emigrare, licet arte caraque nostra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in aedibus mutantur fenestrae, attollitur solum, incrustantur aut convestiuntur tabulatu parietes, situs igni suffituque purgatur.» Recte

(1) Cf. KRUG. l. l. p. 208.

haec quidem exprimunt hominum Christianorum persuasionem de Deo patre, deque vitae nostrae praestantia, quum nihil attinet copiosius demonstrare.

Transeo igitur ad ultimum, quod ROUSSAVIUS proposuit argumentum, quodque multorum animos ita occupavit, ut Ethicam Christianam despicientiâ ac contemtu prosequerentur.

VII. Est autem ex eo ductum, *quod nullus sit locus in Codice Sacro, qui αὐτοχειρίαν damnet.*

Jam breviter repetenda sunt quae suprà ostendimus; Jesu Apostolorumque aetate, ne de tempore Prophetarum dicam, eam fuisse rerum hominumque conditionem, quae de αὐτοχειρίᾳ vetandâ diserta praecepta non admodum flagitaret: deinde universam religionis Christianae indolem a tali facinore, tamquam a scelere, summopere abhorrere. Bonorum enim finis in coelo quaerendus est, ubi et nobis domicilium erit, siquidem Christum vera fide amplexi fuerimus, ipsumque sincere dilexerimus, omnem nostram salutis acquirendae spem et fiduciam omnem in eo reposuerimus, denique ejus praeceptis vitam conformare omni studio et diligentia conati fuerimus. Haec fidei scientia, ut ita dicam, non solum confirmat nostrum statum terrestrem; sed etiam nos efficit laetiores in perficiendo opere, quod suscipere debemus ex Dei vo-

VII. « Où verra-t-on dans la Bible entière une loi contre le « suicide, ou même une simple improbation; et n'est-il pas bien « étrange, que dans les exemples de gens, qui se sont donnés la « mort, on n'y trouve pas un seul mot de blâme contre aucun de « ces exemples? »

luntate, siquidem Christus in nobis vivat, cujus gloriae participes fiamus in regno futuro (1).

Nullum Rousseavius dicit esse praeceptum, quo αὐτοχειρία illicita pronuntietur; profecto in Ethica Christiana tale disertis non invenitur verbis, sed ne desiderabitur quidem, si ejus indolem respicere velis. Nam omnium praeceptorum moralium ac decretorum theoreticorum arcte inter se cohaerentium complexus ea est natura, ut facinus per se jam improbatum damnet prorsus (2). Ad hanc indolem qui animum advertit, vitam suam gubernat, perfectionemque consectatur; is vitae finiendae desiderio aut non tangitur, aut certe non abripitur. Diffidentibus fiduciam inspirat religio Christiana, quippe Deum proponens patrem benigne omnia administrantem: desperantibus animum addit illa monens, calamitates et miserias, quibus premimur, moderante Deo nobis cedere in salutem aeter-

(1) Legatur hac de re Dr. F. H. C. SCHWARTZ, *Aphorismen zur Vereinigung der Christl. Glaubens und Sittenlehre*, in *Theol. Studien und Kritiken*, 1832. p. 123. Notatu quoque dignum, quod monuit Dr. DE WETTE, l. l. p. 303. « In der ganzen Bibel findet sich keine « Vorschrift in Ansehung des Selbstmordes. Das Mosaische Gesetz « scheint denselben für kein Criminalverbrechen erkannt zu haben, « wie unser Recht thut, weil sich wohl gegen alle Verbrechen, aber « nicht gegen dieses Vorschriften finden, worüber sich MICHAELIS « (*Mos. Recht* VI. § 272), obschon mit Unrecht, wundert, indem « die Mosaische Gesetzgebung nicht ausgebildet genug ist, um auf « dieses mehr sittliche als bürgerliche Verbrechen Rücksicht zu « nehmen. »

(2) Cff. quae carissimus mihi praeceptor, Vir Clar. J. CLARISSE exposuit in dissert. *Bewijs uit den aard der Zedeleer* enz. p. 36. (*Verh. v. h. Haagsch Genootschap* 1803).

nam et viam crucis esse viam lucis. Quodsi quis collocatus sit in statione molestissima et periculosissima; si fatigetur et paene enecetur aerumnis, doloribus, animi moerore; si negligatur, contemnatur, quin etiam ignominiosissime tractetur ab hominibus: superest vindex justitia divina, quae neminem destituit, superest spes aeternae retributionis, quae ad omnes pertinet, superest gratia Dei, quam Jesus Christus nobis comparavit. Nam ab hac parte imprimis satis laudari numquam potest Christiana religio, quod animi dispellit angores ex conscientia peccatorum exortos, ut nullus relinquatur desperationi locus, quae αὐτοχειρίας genetrix jure dicatur: huic enim doctrina Euangelica de remissione peccatorum, de beneficio Christi morte perto (1), ut et de Spiritus Sancti ad animum emendandum auxilio (2) egregie opponitur semperque erit opponenda. Itaque viro sic animato ac morato quid opus est praeceptis contra αὐτοχειρίαν? Quodsi insuper quaeratur, quam ob causam diserto aliquo praecepto non aperte pronuntietur, quod argumentando ex indole religionis Christianae facile colligitur, in promtu sunt, quae respondeamus. Non fuit illud necessarium, quoniam haec est Ethicae Christianae natura (3), ut potior, uberior, copiosior sit in laudandis virtutibus, quam in vetandis vitiis (I Tim. I: 8—10): nam Dei Christique amor, summum illud moralitatis principium, nullum excludit officium, sed omnia comple-

(1) Rom. III: 21—26.

(2) Cf. REINHARD, *Syst. d. Chr. Mor.* IV. § 387. sq.

(3) Cf. V. Cl. J. CLARISSIUS, l. l. p. 54 sq. et p. 241 sq.

titur ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα. (Phil. IV: 8).

Is igitur, qui studet virtuti, non indiget legibus; nam sibi unusquisque est lex. Consideremus simul ideam hominis Christiani: eminet ille cognitione rerum divinarum, reverentiâ Dei, amore Christi, ardet studio imitandi Dominum, fugit res fragiles ac vanas hujus mundi, ut cum Deo et Christo vivat, Deique et Christi communione beatus sit. Talis ut αὐτοφονευτὴς evadat, non magis fieri potest, quam ut fiat parricida aut patriae proditor.

Reminiscor et commemoro hoc satis opportuno loco infelicem Angliae Reginam Johannam Grey, cujus exitus ostendit, quam vim habeat religio Christiana in animum humanum, ut turpissimum supplicium constanter ac graviter, sapienter ac fortiter subire non recuset, sed insons ignominiose malit perire, quam temere praevenire, quod ei contingat ex Dei voluntate. Nam vadit illa in eandem carnificinam, eandem ob causam, eodem scelere Judicum, quo conjux jam securi percussus erat. Praevenire tamen potuerat necem dedecoris plenam: cum enim tempus supplicii urgeret et illa capite damnata placide in carcere sederet, ingrediebatur Ashamus, amicus fidelis, afferens cicutam, quam ut acceptam biberet effugeretque hostes crudeles necemque perosam, probe suasit: fortiter illa recusans poculum paratum, praestare dicebat praesentem perferre necessitatem, quam turpiter de vita migrare. Atque sic ostendit, vitae calamitates ad finem usque tolerare verae esse fortitudinis, quâ Domino vivamus Eique mo-

riamur. Gravis oratio, quâ eam coram Asbamo usam fecit elegantissima matrona philosopha Staël de Holstein, religionis Christianae vere divinae vindicat praestantiam. Dignissima est illa, quae apponatur in margine (1).

Rarius omnino fit, ut quis vitam sibi adimat, non perturbatus ingentibusque oppressus doloribus: quod qui facit, mente captum eum dicere non dubito, in ipsum igitur nullam efficaciam exserere potest religio

(1) L. l. p. 61. His ipsis verbis haec exprimuntur: « Les anciens « l'emportent de beaucoup sur nous, parce qu'ils se sont faits eux-« mêmes, mais ce que la révélation a mis dans l'âme du Chrétien est « plus grand que l'homme. Depuis l'idéal des arts jusqu'aux règles « de la conduite, tout doit se rapporter à la foi religieuse, et la vie « n'a pour but que d'enseigner l'immortalité. Si je me dérobais au « malheur éclatant qui m'est destiné, je ne fortifierais point par « mon exemple l'espérance de ceux que mon sort doit émouvoir: « les anciens élevaient leur âme par la contemplation de leurs propres « forces; les Chrétiens ont un témoin et c'est devant lui, qu'il faut « vivre et mourir; les anciens voulaient glorifier la nature humaine, « les Chrétiens ne se regardent que comme la manifestation de Dieu « sur la terre; les anciens mettaient au premier rang des vertus la « mort, qui soustrait au pouvoir des oppresseurs; les Chrétiens esti-« ment davantage le dévouement qui nous soumet aux volontés de « la Providence. L'activité et la patience ont leurs temps tour à « tour: il faut faire usage de sa volonté, tant que l'on peut ainsi « servir les autres et se perfectionner soi-même: mais lorsque la des-« tinée est, pour ainsi dire, face à face avec nous, notre courage « consiste à l'attendre, et regarder le sort est plus fier que s'en dé-« tourner. L'âme se concentre ainsi dans ses propres mystères; toute « action extérieure serait plus terrestre que la résignation. » Optime ab hac quoque parte vindicatur religio Christiana in tragoedia, quae inscribitur *Anthonius Hambroek*, scriptore J. NONSZ, IVe Bed. VIIe toneel. —

Christiana. Hic ergo non indiget praeceptione diserta, quâ *αὐτοχειρία* prohibeatur. Contra vero, qui Christum vere amant et libenter sequuntur, parati sunt ad tolerandos dolores, quippe qui hanc solam sapientiam esse censent, quae doceat aequo animo ferre fortunae injurias, et omnes vias patefaciat, quibus ad animi tranquillitatem ducamur. Tales igitur, audita voce Domini: «*Venite ad me omnes laborantes et onusti, et invenietis animis vestris requiem,*» ad hunc confugiunt, et sicubi perventum est eo, ut succumbere miseriis videantur, animum humilem erigunt exemplo Christi, qui quod ante mortem discipulis dixit, omnibus sectatoribus praecepit:

Εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, γινώσκετε, ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν. — οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ Κυρίου αὐτοῦ.

PARS III.

BREVIS EXPOSITIO EORUM, QUAE PRAECIPUI E CHRISTIANIS MORUM DOCTORES DE αὐτοχειρίᾳ STATUERUNT: S. BREVIS QUAESTIONIS HISTORIA.

Posteaquam exposuimus, quid de morte voluntariâ statuendum sit ex indole religionis Christianae; restat, ut enarremus eorum hac de re sententias, qui, inductâ jam religione divinâ Jesu Christi, aut obiter nostram quaestionem tetigerunt aut datâ operâ tractarunt, quidque sibi videretur, exposuerunt. Qui posterius tentaret, nullus fuit ante seculum XVII. Itaque ab eo inde tempore nascitur nova series, quare haec dissertationis pars in duo capp. describenda erit. Prius complectetur placita eorum, qui ante illud seculum floruerunt; in altero vero capite versabimur ita, ut distinctis a se invicem diversis gentibus, quinam ex quaque earum de hac materia egerint et quid statuerint, separatim enarremus. Verum omnis haec enarratio nostra, pro instituti ratione, perbrevis erit; plura desiderantem ad majora virorum doctorum opera able-

gamus, qui diversa ex omni aevo judicia et enunciata de αὐτοχειρίᾳ collegerunt. Hos, ut par erat, duces secuti sumus cum alios, tum praecipue STÄUDLINUM (1), virum clarissimum, de morum doctrinae historiâ egregie meritum. Ita tamen eorum indicio usos esse nos profitemur, ut plurima mutuo ab iis sumeremus, quaedam tamen adderemus, in omnibus autem nostrum qualecunque judicium sequeremur. Quodsi vel sic in arduo opere viris harum rerum peritis subinde minus recte versatus videar, juveni in eorum benevolentiâ paratam fore veniam spero ac confido.

(1) *Geschichte der Sittenlehre Jesu*, II Band. 1802. et ejusdem *Geschichte der Vorstellungen und Lehren vom Selbstmorde.* 1824.

CAP. I.

QUID DE αὐτοχειρίᾳ STATUERINT CHRISTIANI SCRIPTORES ANTE SECULUM XVII.

Itaque videndum est, quid antiquissimi scriptores, tum illi, quos gravi *Patrum* nomine compellare solent, quam reliqui, de αὐτοχειρίας crimine senserint litterisque consignarint. Quorum primum occupat locum JUSTINUS MARTYR: hic quamquam eos laude prosequitur, qui pro fide Christiana malunt mortem subire, quam Jesum ejusque religionem abnegare, tamen refellit αὐτοχειρίας defensores, judicans, qui sibi ipsi mortem consciscant, hos Dei frustrari consilium, ad quod exsequendum homines in mundo sint locati; dein ut propagationi generis humani, ita quoque religioni divinae male consulere. At laudavit mortem voluntariam Christi causâ oppetendam, illud martyrium vere divinum, ubi vita, nisi desertâ Jesu doctrinâ, retineri non potest; hinc Ecclesiam ipsam comparat cum vite, cujus ramos fructiferos quosdam amputat ars agricolarum, ut, qui relinquantur, meliores uvas ostendant atque ferant maturatas (1).

(1) Dialog. cum Tryph. p. 37 et p. 349. Edit. Lutet. Paris. *apud Michaëlem Sonnium* a. 1615. p. 234. *b*.

Lactantius (1), factâ mentione αὐτοχειρίας Cleanthis, Chrysippi, Zenonis, Empedoclis et Catonis, quem Stoicae vanitatis vocat imitatorem, ulterius hanc rem persequitur, dicens Democritum in aliâ fuisse persuasione, sed tamen:

«*Sponte suâ leto caput obvius obtulit ipse;* «quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si homicida «nefarius est, quia hominis exstinctor est: eidem sce«leri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. «Imo vero majus esse id facinus existimandum est, «cujus ultio Deo soli subjacet. Nam sicut in hanc «vitam non nostra sponte venimus: ita rursus ex hoc «domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum «est, ejusdem jussu nobis recedendum est, qui nos «in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec «jubeat emitti.» Hinc illos αὐτοφονευτὰς, de quibus locutus fuerat, homicidas vocare non dubitavit.

Eusebius historiae Eccles. scriptor αὐτοχειρίαν virtutis causa susceptam haud obscure comprobavit: quod cum aliunde colligitur, tum ex historia illarum virginum, quas narrat matrum suasu in flumen sese dejecisse, ut oppressores, qui multi fuerant in persecutione Diocletiani, et turpitudinem virginitatis vi amissae effugerent. Videtur enim in Christianorum suppliciis usitatum fuisse, ut carnifex prius devirginaret puellas, quas dein obtruncaret (2). Tales igitur, si moste vo-

(1) Inst. divin. III. 18.

(2) Tacitus enim (Ann. V. 9) de Sejani filiâ narrat: «Tradunt «temporis ejus auctores, quia triumvirali supplicio affici virginem «inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compressam.» Et

luntaria praevenirent supplicium, magna laude prosequitur, haec dicens actionibus suis, quae latius pateant quam verba, annuntiare aequalibus et posteris, solam Christianorum virtutem neque superari posse nec vinci (1). Ex his tamen non patet, Eusebium simpliciter αὐτοχειρίαν vel laudasse vel excusasse. Nam haec materna adhortatio non modo ex ipsius pudoris et honestatis sensu, verum etiam ex temporis ratione explicanda videtur, quâ omnium malorum gravissimum et maxime intolerabile putabant stuprum, quo turpius nihil esset iis foeminis virginibusque, quibus semper sanctissimae et castissimae Mariae imago ob mentis oculos versaretur.

Neque aliter CHRYSOSTOMUS (2) versatur in laudanda αὐτοχειρίᾳ, quod non mireris, si temporum illorum rationem habeas et ingentis venerationis, qua tum alii martyres Christianos prosequebantur; tum vel inprimis illustris orator, qui omnes eloquentiae e Graecorum sepulcris quasi revocatae nervos laudandis martyribus

---

SUETONIUS (in vitâ Tiberii c. 61.) « immaturae puellae, quia more « tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, « dein strangulatae. » ad quem locum CASAUBONUS monet « ex anti- « quissimis martyrologiis scimus, in beatissimis virginibus, quae « sanguinem pro Christo domino nostro fuderunt, idem saepe fuisse « factitatum. » DION. CASS. (LVIII. p. 628.) Τῆς κόρης, ἣν τῷ Κλαυδίου υἱεῖ ἐγγεγυήκει, προδιαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ Δημίου, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι.

(1) *Hist. Eccles.* VIII. 12.

(2) CHRYSOST. de Beren. et Prosdoc. II. 644. ed. *Montf.* de Pelagia virgine et martyre. II. 565-591. Laudat. omnium martyr. II. 711-716.

tribuit. — Idem tamen alibi ex Decalogi praecepto V° colligit, non magis licere alios interficere, quam unumquisque consciscere mortem (1).

Fuerunt, qui contenderent, HIERONYMUM voluntariam laudasse vitae exitum, quippe qui laudibus ornaret septem Milesias virgines castitatem plurisfacientes quam vitam: verum alibi satis perspicue suam sententiam exposuit (2), «non est nostrum,» inquit, «mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere. Unde et in persecutionibus non licet propria «perire manu, absque eo, ubi castitas periclitatur, «sed percutienti colla submittere.»

Nemo tamen in αὐτοχειρίᾳ damnanda acrior fuit ANONYMO auctore (3) in ORIGENIS operibus, sic enim ille: «et hi, qui semetipsos interfecerunt, qui sibimet «ipsis mortem intulerunt, numquam requiem habe«bunt: isti in infinita secula numquam invenient re«frigerium, sed animae eorum mox, ut de corpore «exierint, in tenebras deducentur.» Caeteroquin hac de re nihil fere certi patres decrevisse, non est ut moneamus: nam constat AUGUSTINUM fuisse primum, qui rem uberius et datâ operâ tractaret. Hic enim,

(1) *Comm.* in c. I. *ad Galat.* ed. Montf. X. p. 664. quem locum a STÄUDLINO praetermissum esse miror.

(2) *Comm. in Jon.* I: 12. tom. III. 234. Ed. Victor. 1709. et *adv. Jovin.* II. 308 sq.

(3) Hic quoque locus fugit STÄUDLINUM. Invenitur ille in *Comm. anon.* in Job: ORIGENIS oper. inserto (p. 892. tom II. ed. DE LA RUE 1733). Perperam FUNCCIUS (p. 35. praef ad l. l. HOERECCII) haec verba ORIGENIS nomine citat, cui Commentarium illum tribuendum non esse invictis argumentis probavit HUËTIUS in app. L. III. Orig. N. 2. cf. DE LA RUE l. l. p. 850.

ut supra vidimus (1), Decalogi praecepto V° inesse putavit legem, qua homines a morte ultro sibi inferenda perspicue prohibeantur. Deinde demonstravit, animi magnitudinem nullam esse apud istos, qui, quum adversam fortunam ferre aut malefactorum diram conscientiam pati nequeant, mortem sibi ipsi consciscere non vereantur. Quinimo affirmat, quacunque de causa id fiat, semper esse in culpa, ac ne tum quidem licere, si qua femina ad virginitatem aut pudicitiam servandam oppetat mortem: et quamquam ignoscendum esse putat iis virginibus, quae, teste historia, virginitatis causa, divino quodam impulsu sese interemerint; ipsum tamen facinus per legem naturae aut S. Scripturae praecepta licitum esse ubique negat. Quum autem sibi ipse objecerit, Ecclesiam nihilominus dies festos quosdam celebrare in honorem martyrum virginum, quae, ut pudicitiam tuerentur, vitam sibi ademerant, respondit, se hoc quidem probare, licitam esse αὐτοχειρίαν, sed fieri potuisse, ut Ecclesia acceperit mandatum divinum earum celebrandi memoriam immortalem, ipsumque Deum revelatione illas ad talem mortem excitasse. Verum ipse ejusmodi revelationem non magni fecisse videtur (2).

Tempore Augustini exstitit (3) secta Christianorum,

(1) Cf. p. 27.

(2) Cf. *de Civ. Dei* I. 17—26 et *Ep. ad Donatum*. Stäudlin *Gesch. vom Selbstm.* p. 107 sq. — *Gesch. der Sittenlehre* II. p. 135 sq. Mira nobis accidit audacia Robeccii, partim refutantis, partim mutilantis Augustini Sententiam. (cf. l. l. p. 234, 124, 187 sq.)

(3) Aug. de *haer.* c. 69. *Contra Gaudent.* c. 29, 36. — *Contra*

quae, praeter alia bonis moribus adversa, αὐτοχειρίαν defenderet ac suaderet prorsus. Utrum Donatistae an alii fuerint, nunc inquirere nihil attinet. Illud vero satis exploratum habetur, conjunctam cum illis Circumcellionum gentem audacem ac furiosam tale facinus probasse, multosque mortem sibi conscivisse nimirum, ut martyrii gloriam sempiternam adipiscerentur, aut ut peccata sua luerent, temerarii isti homines se vel ipsos interfecerunt vel in manus hostium sponte se tradiderunt, decepti, ut alias cautus nunc taceam, Rhazis exemplo, de quo in antegressis diximus.

Ecclesia Catholica omnem improbavit αὐτοχειρίαν, pugnantem scilicet cum indole religionis Christianae et moribus Christianorum. Hinc SYNODI statuerunt, oblationes nomine αὐτοφονευτῶν factas non esse accipiendas neque cadavera eorum eodem, quo reliquorum hominum Christianorum, modo, medios nempe inter sacrorum concentus hymnorum et sacras ceremonias, sub sacerdotum auspiciis, efferenda esse et sepulturâ honestâ condecoranda. Sic enim placuit CONCILIO BRACARENSI (1), «ut, qui sibi ipsi voluntario, per ferrum aut per venenum, aut per prae-

Crescon. c. 42. — *Epp.* 88, 108, 185. — ROBECK. p. 82. STÄUDLIN p. 110.

(1) Synod. Bracar. (hab. a° 563.) c. 16. *Aurelian.* (a° 533.) c. 14. *Tolet.* (a° 693.) XII. 4. *Nemaus.* (a° 1096.) c. II. 16. *Strigon.* (a° 1114.) c. 9. *Rhem.* (a° 1131.) c. 12, 17. vid. STÄUDLIN, p. 112, et op. majoris III, p. 396 sq. Dr. J. F. KNÜPPELN, ueber den Selbstmord. Gera a° 1790, p. 34. J. P. WILNHALEN, diss. Jurid. de αὐτοχειρίᾳ. Lugd. Bat. a° 1830, p. 24.

«ruipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo, «violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis «in oblatione commiseratio fiat, neque cum psalmis «ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Item «[illegible] «oblationem defunctorum, qui in ali-«quo crimine fuerint interempti, recipi debere cen-«semus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur «propriis manibus intulisse.» Si qui forte consilium coperant de semetipsis interimendis, sed casu impediti in vita manserant, hi excommunicandi erant per duos menses aut alia poena ecclesiastica afficiendi.

Haec decreta et ejus similes opiniones per aliquot secula viguisse videntur; verum de facinoris moralitate nihil scriptum occurrit, neque hoc mirum istis temporibus, quibus neglectae jacebant omnes bonae literae, sordebat et fere consopita erat omnis philosophia: quibus incultis ne Ethices quidem studium, nedum singularum ejus veluti partium, feliciter excoli potuisse, per se facile intelligitur. Monachi saltem eximiae sanotitatis speciem prae se ferebant, sed in virtutis vere Christianae naturam inquirere non solebant, fuitque saepe inhonesta eorum vivendi ratio. Itaque ne miremur, quod per magnam partem medii aevi nihil exstet explanandae quaestioni nostrae idoneum vel accommodatum. Sed Doctor Angelicus ille, THOMAS AQUINAS praetermitti non debet. Ejus ratiocinatio huc redit (1): unusquisque se amat ipse e natura sua, idcirco hoc praecipue spectat, ut amoveat, quod nocere, appetat, quod vitam possit sustentare.

(1) Summa, 2. 2. 64.

Omne quod est, non modo sui ipsius causa existit, sed etiam *communitatis* est; *αὐτοχειρία* deinde pugnat cum officiis erga alios et lege amoris; de societate detrahit socium, de civitate civem; et denique, homo qui se ipse interficit, sibi jus vindicat, quod proprium est soli Deo, cujus nos servi sumus.

Post sacrorum restitutionem non amisit auctoritatem suam placitum illud, quod multorum usu seculorum erat comprobatum, et vetustatis veluti sigillo munitum. Neque solum in Ecclesia Catholica, sed apud eos quoque, qui dicuntur *Protestantes*, vetitum erat, *αὐτοφονευτὰς* more consueto a Christianis recepto sepeliri (1).

Et jam temporum ordo nos ad recentiores scriptores deduxit, qui a seculo XVII fuere, quorumque sententiae commemorandae erunt.

(1) Cf. JUSTUS HENNINGIUS BOEHMER. Jus Paroch. IV. c. 2. § 11. p. 210, ubi memorat *αὐτοχείρας* ex malo proposito, conscientia delicti, dolorum inpatientia, negatam esse honestam, tributam vero *caninam* vel *asininam* sepulturam, i. e., quod a carnifice per fenestras dejecta corpora in loco infami condiuntur. Provocat hic ad CARPZOVIUM. Alio loco docet ejusmodi hominibus denegari sepulturam Ecclesiasticam, ex decreto Concilii *Bracarensis* relato Decreti part. II. Causa XXIII. Q. 5. cap. 12, atque porro ex GONZALEZ, CARPZOVII, STRYCKII, aliorumque scriptis plura affert. Haec omnia habentur a BOEHMERO, Tom II. p. 1085. (edit. 5de Halae 1762.) Hac opportunitate monere licet, ex Innocentii ad Archiepiscopum Turonensem scripto patere, quod sponte se submergentibus, tunc temporis communi e more et lege denegata fuerit sepultura Ecclesiastica. Causa est, quod *excommunicati* censentur, ergo nec in morte cum iis communicetur. Vid. *Decretal.* Tit. 28. cap. 11.

CAP. II.

QUID DE αὐτοχειρίας FACINORE STATUERINT ETHICI SCRIPTORES, QUI FUERUNT A SEC. XVII USQUE AD NOSTRAM AETATEM.

§ 1. *Apud Italos.*

Primum citandus nobis est FRANCISCI PETRARCHAE dialogus de *voluntaria in se ipsum manuum injectione* (1): eleganter argumenta, quibus αὐτοχειρία defenditur, proferuntur eaque acute refelluntur: *Metus* et *Dolor* ut personae loquentes inducuntur, quibus opponitur *Ratio*, quae quum non convincat, optime concludit «ut timidis metum mortis, sic desperatis «vitae odium extorquere difficile est: vitam tamen «aequanimiter perferendam, mortem fortiter exspec«tandam, haec nostri remedii summa sit.»

Comes PASSERANI, idem ille, qui atheismi accusatus et ad ignem damnatus ex Italia in nostras regiones fugerat, tum alia multa edidit, tum etiam dissertationem *de morte*, quae ipsius curâ Anglice (2) prodiit. In hac

(1) *De remed. utr. fortunae* Lib. II. Dial. 118.

(2) *A Philosophical dissertation upon death, composed for the consolation of the unhappy, by a friend of the truth.* London 1732.

scriptione negat auctor, *esse Deum a mundo diversum;* tollit deinde *omne boni malique discrimen* et *hominum libertatem actionumque humanarum imputationem.* His igitur firmis moralitatis fundamentis sublatis, αὐτοχειρίας partes haud infeliciter suscipere potuit. Sub vitae finem infelix Italus errorem suum confessus est, quam confessionem ipsius rogatu sacrorum antistes Haganus promulgavit (1).

Antonius Genuensis (2) Ethices et Oeconomices celeber Professor in Academia Regia-Neapolitana, perspicue et nervose ex nostra a Deo dependentia effecit, mortem voluntariam semper esse in culpa ponendam: hinc omnem negavit εὔλογον ἐξαγωγὴν, quam haud pauci licere statuerant in summis calamitatibus ipsa morte intolerabilioribus, vel ignominiosis: sed sunt ejus verba notatu dignissima «nulla» inquit, «naturae «necessitas talis ac tanta esse potest, ut id nobis im«perium in nos transferat, quod Dei est proprium, «quale est jus vitae et necis: nulla tam clara naturae «vox, quae nobis exceptionem praedicet adversus vitae «amorem insitum individuumque.» Quae insuper addidit, jam supra citavimus p. III. — Alia Italorum scripta ad nostram cognitionem non venerunt (3): igitur transeamus ad eos, qui fuerunt

---

(1) Rutz, *Bijdragen tot de Deïst. Letterk.* Ie stuk. 's Grav. 1781.

(2) *Disc. Metaph. Elementa*, tom. IV. Venetiis 1764. p. 177-180.

(3) Hoc loco recordamur, inde a saeculo XVII in Russia exstitisse sectam Christianorum, quae tamen, quatenus αὐτοχειρίαν probat, a Circumcellionibus vetustae ecclesiae Africanae non multum diversa et nomine Christiano prorsus indigna est. Nominantur isti homines

§ 2. *Apud Franco-Gallos* (1).

Primum accedamus ad ingeniosum illum moralium speciminum scriptorem MICHAËLEM DE MONTAGNE, qui alicubi (2) de *αὐτοχειρίας* facinore in utramque partem disputat non ordine systematico, sed perspicue tamen et ut tantum virum decet. Hujus sententia jam satis patet ex eo loco ubi dixit «discipulum oportere, «quaerere et rogare, doctorem contra et professorem «decernere: meus autem doctor est decretum vo-

Raskolniki aut *Schismatici*, etiam *Staroversi* sive *antiquae fidei*; suntque (si fides auctoribus habenda) eo usque progressi, ut non solum ipsi mortem sibi consciscerent, sed et aliis idem faciendum suaderent ac persuaderent, quin etiam magnis cruciatibus ad idem facinus alios adigerent. Plura videri possunt apud Stäudlinum, qui et uberius de iis disputavit. Cf. *Kirchl. Geogr. und Statist.* II. 289-297. et *Magaz. fur Religions-Moral. und Kircheng.* II. 64—79.

(1) Perelegans de nostra quaestione est locus, qui me antehac fugerat, apud virum reverendum Abbatem DONEIJ (*nouveaux élémens de Philosophie*, Brux. 1830, p. 219); ne illum corrumpamus interpretatione, praestat ipsa auctoris verba referre: « Le *Suicide* suppose « plusieurs faussetés évidentes: 1. que Dieu a laissé l'homme maître « de disposer de sa vie comme il voudroit; 2. qu'il n'est point « contraire aux intérêts de la société; 3. que chacun soit juge dans « sa propre cause, même au detriment des autres; qu'ainsi un père « de famille peut en conscience abandonner ses enfans, un époux son « épouse, un Général ses soldats au moment du combat, etc., dès « qu'il lui plaira de quitter la vie, dès qu'elle lui sera à charge. « Assurément, quoiqu'on en dise, il n'y a ni courage, ni justice, « ni véritable esprit social dans celui, qui ne sait point souffrir et « supporter le malheur. — Le *duel* renferme tout a la fois homicide « et suicide, puisque dans le duel chaque individu expose sa vie avec « celle de son adversaire. »

(2) *Essays*. XI. 3.

«luntatis divinae, quod accepi ut normam ad vitae «cursum recte percurrendum, quodque longe superat «omnes hominum opiniones eorumque decreta.» Verum alibi illos laudare videtur, qui sibi vitam ademerunt; alibi rursus Regulum probat, Catonem despicit, animique magnitudinem in patientia ponit, qua tolerare possimus vitae dolores, quorum fuga defectum ostendat verae fortitudinis: addit deinde, vitae calamitates nullam vim exserere in eos, qui pacem in animo colant, sed illos frustra depellere dolores, qui tranquillo animi statu frui non valeant. De MONTESQUIEVII (1) opinionibus aut dubitationibus eleganter prolatis ad mortem voluntariam defendendam jam satis dictum est supra, ubi argumentorum expositioni et refutationi ipsius verba subjecimus (2). At quid mirum, in Gallia fuisse, qui ejusmodi facinus defenderent, cum haud pauci eo processerint, ut Deum plane tollerent, hominis libertatem veramque religionem rejicerent et exploderent? ab horum partibus stetit Comes D'HOLBACH (3), qui, putans omnes homines secundum suam quosque naturam agere illamque in singulis diversam, cum omnium actionum nostrarum libertatem sustulit, tum vitae sponte finiendae facinus necessarium statuit apud eos, quorum natura eo inclinaret.

Jam supra (4) exposuimus opiniones, quibus Rous-

(1) *Lettres Persanes*, nº. 74. (2) Cf. pag. 126.

(3) *Systême de la nature où des lois du monde Physiqao et du monde moral.* Londres 1770, p. I. c 14.

(4) Cf. pag. 136. Roussavii argumenta in utramque partem pro-

savius usum facit juvenem ST. PREUX in fabula illâ, quae adeo in vulgus celebrata est, ut nemo fere sit, quin legerit *novam Heloisam*. Quandoquidem commemoravimus argumenta eleganter proposita ad defendendam *αὐτοχειρίαν*, ne praetermittamus refutationem virilem ab EDUARDO Anglo in ejusdem fabulae Epist. seq. literis consignatam. Ejus summa huc redit: non casu vitam accepimus, sed Deus illam dedit, ut finem quemdam assequeremur, ergo laborandum est. Mala praetereunt et bona evanescunt sicut umbra: vita per se nullius est pretii, sed ab ipsius usu magnum pretium accipit. Bonum, quod praestamus, manet et hinc vita dici potest *esse aliquid*. — Ne putes igitur, malum tibi esse vitam, cum pendeat a te, ut bonum fiat: at si malum sit *vixisse*, id ipsum argumentum efficit, diutius *esse vivendum*, ut tibi quoque bonum sit *vivere*.

Verum ipsa *αὐτοχειρίας* defensio quum ab acutis scriptoribus eleganter constituta fuisset, multis admodum placuit; sed gravioribus piisque viris adeo displicuit, ut in libris diserte refutarent perniciosa sophismata. In illorum numero primum locum occupat dissertatio JANI DUMAS (1) Reformatae Ecclesiae Franco-Gallicae apud Lipsienses ministri. Cujus opus tripartitum continet accuratam inquisitionem in *αὐτοχειρίας* naturam, malorum in statu terrestri necessitatem eorumque utilitatem ad conformandum hominem, quo certius vivat

lata inveniuntur in libro, qui vocatur: *la Nouvelle Héloïse ou lettres de deux amans*. p. III. l. 21 et 22.

(1) JEAN DUMAS, *traité du Suicide*. Amst. 1773.

vitam vere vitalem: tum convellere studuit singillatim Montesquievii, Holbacii et Roussavii argumenta; denique ex S. S. locis quibusdam, exemplis ibi memoratis et ex religionis Christianae indole efficit, nemini potestatem esse vitam sibi adimendae.

Hoc loco mentio facienda est quoque eximiae dissertationis, conscriptae a Viro erud. MERIAN et Belgice factae sub auspiciis praestantissimi apud Trajectinos, dum viveret, philosophi, HENNERTI, a Jurisc. VAN LEEUWEN (1). Merianus enim subtilis, si quis alius, philosophus, accuratius indagatis ipsius facinoris causis, id sibi effecisse visus est, quoscunque mortem sibi consciscentes mente captos esse, aut saltem desperatione adeo perturbatos, ut quid faciant, jam non amplius ipsi scire videantur. Monet deinde, fortitudinem non magis cerni in oppetenda morte quam in conservanda vita; neque fortem esse, qui adversâ fortunâ ad abjiciendam vitam se adigi patiatur, sed contra imbecilliorem, quam ut illam sustentare valeat.

Neque silentio praetereundus est libellus celeberrimae matronae DE STAËL HOLSTEIN (2), quamquam praeclare intelligo, me non posse concise explicare, quae tanta sermonis suavitate exposita sunt. Jam in exordio sibi dolere profitetur, alicubi αὐτοχειρίαν a se laudatam (3). Est autem hujus opusculi argumentum

(1) *Over de vrees voor den dood, over het verachten van den dood en over den Zelfmoord, door den Heere* MERIAN, *vertaald door* Mr. J. VAN LEEUWEN, p. 83—153, Ve dl. *Uitgelezene verhandelingen door* J. F. HENNERT, Utr. 1788.

(2) *Reflexions sur le Suicide.* Lond. 1813.

(3) *Sur l'influence des passions.*

tripartitum: primum inquiritur, *qui sit effectus dolorum et malorum in animo humano:* dein exponuntur *leges, quas exhibeat Ethica Christiana contra mortem voluntariam:* denique describitur *hominis dignitas moralis.* Haec omnia recte pertractata dicere nequeo, forte latent plura vitia sub oratione suavi atque ornata; non tamen adsentior (1) Thielenio hanc scriptionem acriter perstringenti. Nam non obliviscamur, scriptorem esse foeminam non virum philosophantem: neque qui vere judicant, negare possunt, admirabilem esse lenitatem orationis, laudandum acumen ingenii et probandam dicendi vim, quae in multis aliis hujusmodi scriptis desideretur: ita enim hic libellus lectores inflammat, ut qui legerit, aut prorsus abhorrescat a scelere mortis voluntariae, aut omni sensu humano destitutus esse videatur.

Nuperrime prodiit historia quaedam ficta, cui titulus *le suicide* (2), auctore SERVAN DE SUGNY: scriptor consilium ceperat populariter proponendi Roussavianum argumentum, *omnibus doloribus optimam medicinam exhibere tempus:* ideirco duo inducuntur viri, qui adversâ fortunâ vitae finem serio deliberant, alter mercator Batavus, alter Germanus. Scena est ad ripam Amstelii fluminis: uterque eo venerat, ut pyrio pulvere se ipse occideret. Verum Batavus alterum abducit ejus fortunam restituendo, sibi tamen ipse postea diras manus infert; dum contra peregrinus,

(1) Cf. THIELEN VON THIELENVELD, l. l. praef.

(2) *Le Suicide* par SERVAN DE SUGNY, publié par CHARLES LE MESLE. Paris 1832.

hujus filia ducta, vitae deliciis diu fruitur. Ecce libelli argumentum.

Celeberrimi FRED. ANCILLONI (1) dissertatio jure meritoque laudatur: hac autem in re haud quidquam novi induxit; sed quae jam alii, eadem argumenta verum elegantius ille exposuit.

Verbo indicasse sufficiat accuratam αὐτοχειρίας ejusque causarum indagationem, institutam illam a viro doct. J. P. FALRET (2) in libro, cujus primam partem Germanice versam curavit G. WENDT (a° 1824), et alteram postea, sed omissis multis ipsius auctoris animadversionibus (3).

§ 3. *Apud Anglos.*

Constat, ut modo vidimus, ante Sec. XVII nullum fuisse, qui de industria mortis voluntariae quaestionem tractaret: verum ab hoc tempore quot quamque varie se torserint homines eruditi in defendendo et oppugnando ejusmodi facinore, incredibile dictu est. Et primum reperiemus JOH. DONNE Ecclesiae S. Pauli apud Londinenses Decanum, qui αὐτοχειρίαν defenderet, aut certe eam, si justae urgeant causae, licere

(1) *Essais de Philosophie.* Paris 1832. II. p. 87—115, *sur le Suicide.*

(2) *De l'hypocondrie et du Suicide. Considerations sur les causes, sur le siège et le traitement de ces maladies, sur le moyen d'en arrêter le progrès et d'en prévenir le developpement.* Par. 1222.

(3) Sub titulo *Der Selbstmord* von J. P. FALRET, übers. von G. WENDT. (Vid. *Goett. Gel. Anz.* 1826. S 1520.)

pronuntiaret. Opus (1), quod edidit, in tres describitur partes, quarum prima versatur in exponendo mortis voluntariae nexu cum legibus naturae: altera cum legibus rationis; ultima cum legibus Dei. Demonstrare conatur, hominem creatum secundum imaginem divinam esse sui juris. — Quod ad primam scriptionis partem, ex factis aliorum, ex consuetudine et exemplis efficere voluit, αὐτοχειρίαν convenire cum naturâ ejusque legibus: quod ad alteram, haec versatur in exponendis et infringendis legibus civilibus et Canonicis, in amplificandis aut refellendis argumentis eorum, qui hac de re aliquid scripserant; ducit denique ex ratione humana, quae valere ipsi videntur ad hujus sceleris defensionem. Verum obscurius omnia pertractata sunt, quam ut facile intelligi possint; neque lucido ordine collocata, neque illud horridum atque incultum argumentum splendescit oratione, ut, quod sit incredibile, dicendo fiat probabile. Accedit tandem ultima pars, in qua percurrit loca Sacrae Scripturae, ex quibus tamen nihil effici opinatur. De naturâ et indole religionis Christianae tacet prorsus, monens tantum sub finem libri, nullum esse praeceptum, quod jubeat amorem erga nosmetipsos, sed omnia praescribere amorem erga Deum et proximos;

(1) Βιοθάνατος *a declaration of that Paradox or thesis, that Self-homicide is not so naturelly a sinne, that it may never be otherwise wherein the nature and the extent of all these laws, which seeme to be violated by this act, are diligently surveyed. Written* by JOHN DONNE etc. 1644. Copiosius argumentum exposuit librumque censuit Stäudlinus l. l. p. 117: de auctore cf. MORHOF. *Polyhistor* l. VI. c. 4. § 18.

et ut philosophi atque Theologi mendacium nonnumquam licere statuerint, sic etiam licitam esse αὐτοχειρίαν, si necessitas urgere videatur. Hic liber simulatque prodierat, adeo placuit hominibus multis, ut haud pauci, ejus lectione, ut videbatur, permoti vitam sibi ademerint. Hinc editus est, nescio cujus anonymi auctoris, libellus alius, ad evellendam ex hominum animis opinionem illam perniciosam. Ejus titulus est *Pellicanicidium* (1), nomine inde orto, quod Donne alicubi monuerat, pelecanos sibi saepe mortem consciscere pullorum causâ. Postea defensionem scripsit CAROLUS DOPE BLOUNT, qui, cum prohiberetur uxoris sororem ducere, se ipse interfecit a°. 1693. Opus, quod inscribitur *Oracula rationis* post auctoris mortem GILDON poëta publici fecit juris, in praemissa praefatione amici laudans constantiam et animi magnitudinem, atque ab hac parte comprobans αὐτοχειρίαν. Deinde vero, cum errorem palam profiteretur, ipse suam refutavit sententiam ante pronuntiatam (2).

Verum in Anglia pauciores exstitere, qui Scriptis defenderent hoc scelus: longe plures, qui noxio exemplo alios, ut idem facerent, invitarent. Neque hoc a natura hujus gentis alienum est (3), quae cum

(1) *Pellicanicidium or the Christian adviser against Self-murther, together with a guide at the pilgrim-pass to the land of living.* Lond. 1655.

(2) Cf. *The deists manual or rational enquiry into the Christian religion.* Lond. 1705.

(3) Quâ de re cff. KANT'S *Anthrop.* p. 301 et carissimi patris mei, V. Cl. J. NIEUWENHUIS, *Init. Phil. Log.* p. 407. (Lugd. Bat. 1831.)

Romanis antiquis multa habet communia, superbiam praecipue animique immutabilitatem et Stoicam ἀπάθειαν.

De ineptis DAVIDIS HUMII (1) opinionibus jam satis diximus (pag. 123.), plura, si quis cupiat, exhibebunt Stäudlini et Buhlii scripta (2); non enim philosophi sententiae, tamquam avulsa a corpore membra, sed ex integrae disciplinae perpetuitate spectandae sunt.

Illorum scriptorum, qui apud Anglos αὐτοχειρίαν damnarunt, nullus facile fuit cum WATTIO (3) comparandus. Non admodum subtiliter ille scripsit, sed populariter et apte ad persuadendum: ejus argumenta ducta sunt partim e ratione humana, partim e verbo Dei, quod Rationis luci affulsit; sic igitur ostendit, quam odiosa, quam homine indigna, quam Christianorum officiis contraria sit actio mortem ultro petendi.

Optime quoque de hac Ethices parte meritus est CHR. MOORE (4), cujus operis relationem Stäudlinus praetermisit, quia non viderat ipse: neque ejus videndi copia quamquam petenti et quaerenti mihi facta est, quare praestat referre censuram nescio cujus as-

(1) In opere, *Essays on the Suicide and the immortality of the soul etc. adscribed to the late* DAV. HUME. Lond. 1785 et 1789.

(2) STÄUDLIN, l. l. p. 153 sq. et BUHLE, *Gesch. d. n. Ph.* V. pag. 216.

(3) ISAAC WATT, *Defence against the temptation of Selfmurther in sermons, discourses and essays on various subject.* Vol. II. Lond. 1753.

(4) C. MOORE, *a full inquiry into the Subject of Suicide*, Revington, II vol. 1790.

servatam in diario Batavo (*Kunst- en Letterbode* 1790 n°. 106). Hic Moorii librum summopere laudat, ut opus perfectum et omnibus numeris absolutum. «Sufficit,» inquit, «sive spectamus demonstrationem, sive «Ethicam, religionem, philosophiam, historiam poli«ticam et disputationes de hoc facinore jam habitas.» Libri argumentum sic describitur: c. I. *de natura αὐτοχειρίας ejusque causis ac turpitudine:* c. II. *sceleris magnitudo proponitur:* c. III. *quibusnam rationibus e religione Christiana ductis damnetur:* c. IV. continet *historiam quaestionis, descriptionem legum, enarrationem consuetudinum, quae de αὐτοχειρίᾳ ethnici secuti sunt:* c. V. adjicitur *quaestionis de facinoris moralitate historia ab eo inde tempore, quo religio Christ. inducta sit:* refertur, *quid de αὐτοχειρίᾳ statutum sit seculis prioribus p. Chr., quid placuerit patribus Apostolicis, quid Conciliis, quae leges et qui mores invaluerint.* — Denique auctor investigat *conditionem moralem ab hac parte multorum populorum, sed praesertim Anglorum.*

§ 4. *Apud Germanos.*

Accedamus ad gentem philosopham, cujus scriptores de nostra quaestione prae copia numerare vix possumus (1). Omnes, quae exstitere Philosophorum

(1) Ex antiquissimis mihi innotuerunt:

Andreas Celichius Marchiae veteris Superintendens edidit Magdeburgi 1578 «*ein nützlichen und nothwendigen Beweis von denen Leuthen, so sich selbst aus Angst, Verzweiffelung oder andern Ur-*

scholae et Theologorum sectae, uno quasi consensu damnarunt αὐτοχειρίαν, iisdem fere rationibus et argumentationibus quamquam vario modo explanatis. Sed ut philosophia, inprimis ejus pars, quae est de moribus, magis excoli coepta est, nova quoque argumenta quaesita sunt et inventa ad illos convincendos, qui crudelissimum facinus defenderent aut approbarent.

Christianus igitur Wolfius humanae vitae summum propositum esse putans, ut faciamus, quae ad perfec-

---

sachen entleiben und hinrichten. Franciscus Piccolomineus, Patavinus philosophus exploravit argumenta in utramque partem prolata, in libro: *philosophia de moribus.* A° 1583. Fridericus Winekker, gründlicher und wahrhaftiger Bericht von Joh. Balth. Kelterborn's *Leben und jammerlichem Ende.* Braunschw. 1660. (Cf. Funcc. Praef. ad Rob. l. l. p. 2.) His addi possunt, quos Stäudlinus (p. 175. l. l.) indicavit:

Casp. Barth, in *annot.* ad librum Aeneae Gazaei et Zachariae Mitylenaei, *de immortalitate animae et mortalitate universi.* Lips. 1655. Rachelius, *de morte voluntaria.* Helmst. 1659. Joh. Weickman, *de jure sepulturae per autocheiriam amisso* Viteb. 1688. (Cf. J. G. Walch, *Phil. Lex.* voce *Selbstmord.*) Prätorius, *der verdammliche Selbst- und Eigenmord.* Danz. 1693. Reinh. Stürmer, *de caede propria.* Regiom. 1702. Heuman, *de Autoch. Philosophorum.* Jena 1703. Marperger, *nöthige Warnung für den verderblichen Selbstmord.* Nürnb. 1715. Gentzken, *Syst. Philos.* p. III. Hamb. 1717. Hecker, *de αὐτοχ. martyrum.* Lips. 1720. Insuper Crusius (Lehrb. der Chr. Sittenl. 1826,) citavit: D. von Gleich, (1813) Hermann, (1819) et Scheidler, *de morte voluntaria* (1821, inserta Annal. Acad. Jenens tom. I.) — Quibus Dr. J. W. Schmids, Th. Mor. 1794, p. 433,) addidit auctoris anonymi librum, *ueber den Selbstmord nach der Bibel.* Grotkau 1789. Cel. Feder, *duabus dissertationibus de morte voluntaria, sententiam Montesquieuii confutasse legimus sed eas ipsas non vidimus.*

tionem ducant, ipsius perfectionis culmen statuit, si omnes actiones cum naturae nostrae desideriis et postulatis conveniant. Hinc ergo efficit, αὐτοχ. quippe naturae contrariam prorsus non licere. Plura ad rem explanandam adjecit eaque e religione pura, quae vocatur, maxime hausta (1).

Eandem sententiam protulit Buddeus (2), vir doctissimus, qui philosophiam Wolfianam transtulit in theologiam Christianam et, quod supra monuimus, Stoicorum rejecit decreta (3). Neque aliter placuit Crusio (4), qui tamen in haud paucis a Wolfio dissentit, et magis auctoritatem respicit S. L., allatis locis quibusdam ut v. c. I Joan. III: 15, Hebr. X: 38, Apoc. XXI: 8. denique monet turpissimas fuisse causas, quae ad mortem voluntariam duxerint istos viros, quorum mentio fit in Codice Sacro.

In Germania prodiit sec. XVII opus satis amplum (5)

---

(1) *Phil. mor. s. Ethica method. Scientif. pertract.* p. IV. § 195—267. Hal. 1752.

(2) *Inst. Theol. mor.* p. 489.

(3) *Diss. de error. Stoicor in Phil. mor.* § 5. (anal. hist. Phil. pag. 192.)

(4) Baumgarten Crusius, Anweisung vernünftig zu leben. Lips. 1744. § 227. — Kurzer Begriff der Moralth. II. § 252. (1773).

(5) J. R. Calmaria-Suedi, Exercit. Phil. de εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ, *s. morte voluntaria philosophorum et bonorum virorum, etiam Judaeorum et Christianorum. Recensuit, perpetuis animadverss. notavit, praefatus est et indicem rerum locupletissimum addidit* J. H. Funccius, *Marburgensis* Rint. 1736.

Joh. Robeck, natus Calmariae 1672, studiorum cursum perfecit in Acad. Upsalensi, ubi dissertationem conscripsit, non tamen defendit *de fine hominum.* Ex coetu Protestantium transiit ad Jesuitas, ab

Sueci cujusdam, nomine Robeck: hic, eruditus sane, sed inconstans, melancholico morbo depressus, cum decretum ipsi esset, vitam finire in fluvio, schedulas misit Funccio Professori Marburgensi, eique mandavit, ut omnia, quae in lucem proferri possent, edenda curaret. Hinc duo volumina publici facta sunt juris; ad utrumque Funccius praefatus est annotavitque in margine, ubi sibi cum auctore non conveniret. Priori operi disputationem praemisit de morte voluntaria: adjecta est vita Robecci. Ceterum constat, auctorem in refellendis aliorum sententiis coeco furore correptum fuisse: nam dissentientes acerbissimis calumniis insectatur nec sine ἀκρίβεια, quam in aliis ejusmodi scriptis vix reperias. Non absunt doctrinae copia et exemplorum ubertas; desiderantur tamen indagatio accurata, quae a ratione proficiscitur, et lucidus exponendi ordo. Omnem scriptionis summam copiosius exponere, non convenit brevitati nobis propositae. Itaque sufficiat argumentorum, quibus opinionem exornare studuit, enumeratio concisa:

---

his deinde rediit ad illos. A°. 1735, aet. 64, se dejecit in flumen Visurgin prope Bremam urbem. vd. stäudlin, l. l. p. 180. Dumas, l. l. p. 149. (Version. Germ. (Lips. 1775.) p. 133.) In Dania de nostro argumento in lucem editi sunt:

Bastholm, *Betrachtninger over Selvmord.* 1787.

Münter und birch, *Profevore losninger om Selvmord, og Sammer moralitaet.* 1789.

Gamberg *om Selvmord.* 1796. (Vd. stäudlin, p. 71.) In Suecia: georgius hjort lautrup, *disq. de morte voluntaria ad conditionem principii moralis accuratius definiendam.* Hafniae. p. i. a° 1826 et p. ii. a° 1828.

1. Primum ostendit *tenuitatem eorum argumentorum, quae prolata sunt ab oppugnatoribus αὐτοχειρίας.*
2. Docet, *nullum esse praeceptum, quo nosmetipsi ita diligere jubeamur, ut vitam finire prorsus non liceat.*
3. *Amorem vitae in hominibus non ut in belluis esse fontem praecipuum, unde cogitandi simul atque agendi vis profluat: sed ancillam quasi amoris summi, beatitatis scilicet rationalis.*
4. *Corpus esse parvi pretii, et id pretium aestimari ex usu, quem praestet et ob quem ejus sustentatio continuetur.*
5. *Quamvis Philosophi dissentiant de anima, de vita ejusque consilio; omnes tamen concedere, ob justas causas vitam nobis ipsis esse adimendam.*
6. *Beneficia, si inutilia sint, imo noceant, et dolorem pariant, aut si retineri non possint, nisi amissâ virtute, esse abjicienda.*
7. *Quibus argumentis refutari posse videatur αὐτοχειρία, eadem valere ad improbandam vitae, castitatis, possessionumve defensionem, quae fiat adversus aliorum insultus.*
8. Αὐτοχειρίαν *nonnumquam, in certis casibus, convenire cum ratione recta, penes quam sit summa auctoritas, eademque haud minor auctoritate Scripturae Sacrae.*
9. *Mortem voluntariam esse praesidium legum, naturae, virtutum, libertatis etc.*

10. *Eam probari exemplis innumeris omnium fere populorum, eorumque placitis et moribus.*
11. *Si non liceat ob gravem causam se interficere, utilitatem vitae, sapientiae et virtutis, quibus vivere debeamus, esse parvam aut potius nullam.*
12. *Mortem voluntariam excitare sapientem et fortem ad facta praeclara; vitam contra, si semper retinenda sit, obstare cuivis facto eximio.*

Satis est, quod diximus de hoc libro, cui (1) alterum subjungamus, decem annis post ab eodem editore in lucem protractum. Praemittitur dissertatio *de causa mortis voluntariae minime naturali sed adfectuum adscribenda tyrannidi:* in qua FUNCCIUS doctrinae copiam exposuit haud vulgarem. Juvat ipsius viri verba referre, quae notatu digna nobis visa sunt et sub finem inveniuntur. «Non omnes, «inquit, «*αὐ-*«*τόχειρες* absolute et indistincte videntur esse dam-«nandi. — Nam si quis non ex perfida et mala mente, «laborum ac miseriarum taedio, praemeditato scelere, «vel desperatione, sed atra laborans bile, ex phrenesi «et melancholia, mortem sibi consciverit: si pie vi-«xit, non potuit, qui adeo imprudens furensque in

(1) JOAN. ROBECK *Calmaria — Suedi de morte voluntaria exercitatio sive examen calumniarum, nugarum et fallaciarum, quibus tamquam argumentis utuntur εὐλόγου ἐξαγωγῆς consensus generis humani, salutis et gloriae bonorum virorum honestarumque feminarum hostes et oppugnatores. — Perpetuis animadversionibus notavit, praefatus est, et indicem rerum addidit* J. H. FUNCCIUS Marburgensis. 1753.

«exitium ruit, male mori: ut ejus hominis misera «conditio sit magis deplorandа, quam poenis digna «damnatorum judicanda. Sunt viae Domini admira«biles et numquam satis perscrutandae, gratia vero «infinita, ut temerarium mortales judicium haudqua«quam deceat.»

In hoc opere ipse scriptor locupletior est et acrior in refellendo, quam fuerat in priore: reprehendit inprimis Lactantium, Augustinum, Lipsium, Rachelium; sed in infamiam potius quam in refutationem dissentientium compositus est liber conviciorum plenissimus. Si tamen quaerat aliquis, quid ille Suecus voluerit, duobus voluminibus spissioribus; responsio in promtu erit, eum multis uti verbis, ut sibi aliisque persuadeat, id licere, quod naturae repugnat. Errant tamen, qui existimant, omnia αὐτοχειρίας genera ab eo esse defensa: quod quamquam haud paucis videri potest, ipse tamen diserte negavit, ubi dixit (1): «Adde «demum et adversariis concedo, atque severius etiam, «quam ipsi, damno necem non sui modo, sed et «aliorum, imo vel pecudis, si temere, inconsulte, «promiscue, ex ira, odio, furore, crudelitate et quo«cunque vitio, malove impetu vel affectu fiat. Ita rem «quamque sine controversia honestissimam facere, in«honestum et nefas esse patet. Damno etiam, si quis «se vel educat, vel occidat, dum Deo, patriae, civibus, «proximis utiliter servire potest: praesertim sine into«lerabili aut graviore tormento sui. Confiteor hunc

(1) Cf. p. 378.

«talem peccare, facereque aliquam quasi injuriam «Deo, et illis, quibus prodesse posset vivus. Quod «si nihil aliud velint urgeantque adversarii, lis omnis «est finita; imo nulla ab initio fuit.» Restat, ut obiter moneamus, editoris animadversiones textui subjectas tanti pretii nobis visas esse, ut, nostro quidem judicio, scriptorem non modo refutaverit prorsus, sed et quaedam suppeditaverit, quae mihi in hac quaestione tractanda usum praestiterunt insignem.

Moses MENDELIDES (1) versatur inprimis in refutando GILDONE homine Anglo, cujus mentionem supra fecimus. Eleganter scripta est refutatio, nihil tamen novi in ea occurrit: quinetiam vehementer laborat, monente Reinhardo (2), ejusdem disputatio adversus LINDAMURUM, qui utilitatis et felicitatis principio posito unde ducantur officia, satis speciosam mortis voluntariae defensionem superstruit: nihil philosophus Judaeus efficit, nisi hoc, *parum prudenter agere*, qui sibi vim faciant; itaque, quod diu receptum erat, rationibus adductis probare conatus est. Sed notanda est quaedam contentio MENDELIDEM inter et THOMAM ABBTIUM, qui politicas ob causas omnino in *αὐτοφονευτὰς* animadvertendum censebat, dum Moses contrarium posuerat, verum deinde quodammodo retractavit (3).

(1) Cf. *Briefe über die Empfindungen*. Ep. 13, 14, 15. *Phil. Schr.* I. p. 70 sq. Hic philosophus quamquam Judaeus omittendus non est, quippe cui affulserat quodammodo lux Christianae religionis. — Eandem ob causam B. DE SPINOZAE infra concedetur locus.

(2) Cf. Opusc. I. p. 88.

(3) THOMAS ABBT *Vermischte Schriften*. III. Ep. 5 et 6. edit. Franc. et Lips. p. 30 sq.

Eodem fere tempore Hamburgi prodiit poëma Franco-Gallicum, quo *αὐτοχειρία* impugnatur a GEORG. LUDW. VON BAR (1). Est tractatio popularis, nec indigna, quae legatur.

Deinde exstiterunt, qui *αὐτοχειρίας* defensores acriter refellerent, LESSIUS et MILLERUS, viri doctissimi, Academiae Göttingensis ornamenta: quorum posterior (2) haec potissimum argumenta proposuit, *Deum vitam hominum non subjecisse horum libidini, sed ipsum mansisse vitae dominum, ut curaret omnia ad nos pertinentia et praecepta daret sapientissima ad nos servandos, ipsaque hac curâ monstrare, se vitam hominis magni aestimare;* dein *nostrum esse his praeceptis obedire vitamque tueri, et violantibus hoc officium poenas imminere, quae exigat violatum jus summum Domini supremi.*

LESSIUS (3) vero, ut totam Ethices doctrinam ex uno et solo fonte Codicis Sacri hausit, sic et ab hac parte eorum opinionem refutavit, qui audacter statuerent, *αὐτοχειρίαν* in Libris Sacris non esse vetitam. Ideirco ex allatis pluribus locis contrarium probavit. Idem egit venerandus RASCHIG (4), demonstrans in oratione Sacrâ,

---

(1) ANTI-HEGESIAS, *dialogue en vers sur le suicide, avec des remarques critiques et historiques.* Hamb. 1763.

(2) JOH. PETR. MILLER *Fortsetzung von* MOSHEIM's *Sittenlehre der H. S.* 6 Th. Halle und Helmstädt 1765. S. 281—316. et ejus *Abhandlung von der tugendhaften Erhaltung des Lebens und der richtigen Beurtheilung des Selbstmords.* Leipz. 1771.

(3) Dr. GOTTFRIED LESS, *Abhandlung von Selbstmord.* Gött. 1778. ejusdemque *Christl. Moral.* Gött. 1777. p. 180—187.

(4) M. CHRISTIAN EHRGOTT RASCHIG, Pastor zu Friedrichstadt-Dres-

αὐτοχειρίᾳ nihil esse turpius officiisque Christianorum magis contrarium.

Joh. dav. michaëlis (1), vir summus, damnans mortem voluntariam, quippe naturae humanae adversam, tamen ridiculos pronuntiat multorum conatus, qui sibi effecisse videantur, non licere homini pro lubitu de vita migrare, quod omnes interfectores sui in Litteris Sacris commemorati fuerint homines scelesti; neque Pauli verbis Rom. XIV: 7—9 αὐτοχειρίας damnationem inesse putat. Repudiavit praeterea argumenta, quae a plerisque prolata sunt, scilicet, *nos in statione esse positos, de qua nemini liceat decedere, et nos, cum nobis ipsi non dederimus sed a Deo eam acceperimus, non esse hujus vitae dominos.* — Prius argumentum (ut alios omittam) optime exposuit reinhardus in dissertatione *de morte voluntaria* (2) breviter sed eleganter conscriptâ. Est autem haec scriptio tripartita: primum definit auctor, *quae sit vera vis ac notio mortis voluntariae:* deinde exponit copiosius *ipsam Platonis argumentationem, quâ Socrates in Phaedone reprehendit talem mortem;* denique *refellit, quae ab aliis contra disputantur.*

---

den, *eine Warnung wider die abscheuliche Sünde des Selbstmords, in einer Predigt nach Anleitung des Euang.* Math. II: 13—23 (?!) haec oratio latuit forte Stäudlinum. Anno 1828 prodiit Dr. zimmerman, *Betrachtungen zur Würdigung des Selbstmordes. Eine Predigt am Sontage* esto mihi *gehalten.*

(1) *Vorlesungen über die Moral.* Gött. 1792. vol. 2.

(2) *De morte voluntaria quid et quam clare praecipiat Philosophia;* ad locum Platonis in Phaed. Sect. VI. (1778). Cf. Opusc. I. p. 97 sq.

Quid a GARVIO (1) factum sit ad illustrandam quaestionem de morte voluntaria, jam supra meminimus, ubi de Catone aliquid in medium prolatum est. Ejus sententiam uberius exponere vetant hujus libelli angustiae. Accedamus jam ad celeberrimi GÖTHII sive fabulam sive historiam poëtice tantum exornatam, nomine *Werthers Leiden* satis notam. Ejus summa huc redit: omnia mala, si certum quemdam gradum superaverint, amplius tolerari non posse, sed contra hominem prorsus deprimere eoque adigere, ut sponte se liberet duris corporis vinculis: illum vero, qui talem exitum quaesiverit, judicandum esse ut morbo gravi oppressum, quinimo humaniter excusandum, crudeliter non esse damnandum. ENGELIUS (3) hujus libelli censorem severe egit eumque acriter perstrinxit, idque summo jure: nam qui talia secure et audacter scribunt, maxime ubi orationis flumine utuntur, quod lectores vel invitos secum abripiat, semina scelerum et insaniae spargunt humanaeque societati infesti et perniciosi sunt. Dici vix potest, quot homines, hac fabulâ perlecta, rationem religionemque ejuraverint sibique mortem consciverint. Hinc placuit (a°. 1780) Theologis Göttingensibus, quaestionem ponere *de morte voluntaria, utrum defendi possit ex principiis religionis Christianae, an damnetur:* cui respondens G. E. GRODDEK (4) praemium reportavit. Ejus scriptio

(1) GARVE, *Uebersetzung von Cic. Off. Anmerk.* p. 209—221.

(2) GÖTHE's *Schriften.* I Bd. Leipz. 1787. p. 104.

(3) *Der Philosoph für die Welt.* I Th. Leipz. 1787. S. 50.

(4) GOTTFRIED ERNST GRODDEK, *Commentatio de morte voluntaria.* Gött. 1785. Quae de hac dissertatione dixi, sumta sunt ex Stäudlini

ita est instituta, ut primum definiatur acute, quid sit *αὐτοχειρία, quid juris homo habeat in vitam suam et quando mors ei sit obeunda:* deinde accurate exponuntur *argumenta in utramque partem prolata.* Omnia in hac dissertatione, Ständlino judice, clare et eleganter scripta sunt, feliciter ad rem accommodatis, quae Lessius et Millerus, auctoris praeceptores, de eodem argumento indicaverant, adjectisque variis sententiis, quas e philosophorum scriptis haud vulgari studio ipse collegerat.

G. W. BLOCK (1), qui ex sententia ordinis Theologorum victori proximus judicabatur, paucis annis post dissertationem edidit linguâ vernaculâ, non valde laudandam illam: nam religionis Christianae indoles non nisi obiter tangitur, tametsi argumenta ab aliis jampridem exposita diligenter repetuntur.

Progredimur nunc ad illud tempus, quo disciplina moralis novam quasi induit formam, eamque petitam e philosophiâ Kantianâ, quae *αὐτοχειρίαν* quam maxime damnavit, quippe pugnantem cum hominum dignitate officiisque: nam moralitatis *subjectum* (utemur

relatione: si qui forte sint, qui mirentur, quare non ipse meum qualecunque apposuerim judicium, neque ante in disputatione hujus libelli mentionem fecerim, sciant, velim, mihi eum ad manus non fuisse, vix aut ne vix quidem potuisse, quandoquidem ejus in librariorum tabernis nullum amplius exemplar reperitur.

(1) GEORG WILHELM BLOCK *vom Selbstmord, dessen Moralität, Ursachen und Gegenmitteln.* Aurich 1792. Cujus libri censura legitur in diario, *Neue allgemeine Deutsche Bibliothek.* I. 1. 486. Berlin 1793. Ipse censor aliquantum probare videtur *αὐτοχειρίαν*, iis convictus argumentis, quae D. HUME, ut vidimus, inepte proposuerat.

ipsis, quibus hujus disciplinae Philosophi verbis) in sua ipsius persona occidere, nihil aliud est, ac moralitatem, quoad existat a parte hominis, e mundo tollere, quoniam ipsa moralitas est finis existentiae nostrae. Alibi KANTIUS (1) dixit: qui se interficit, is in sua persona despicit humanitatem, (*hominem nooumenon*) s. partem hominis praestantiorem, quae tamen credita est homini tamquam *phaenomeno*, ut eam sustentaret: αὐτοφονευτὴς autem contrarium facit, se ipse adhibens instrumentum ad assequendum finem positum. Quod vero magnus Philosophus Regiomontanus protulit, id explanavit, ut alios taceam, C. G. SCHMIDT (2), enuntiatis Kantianis magis ad omnium captum accommodatis.

FICHTIUS egregio praestans ingenii acumine, sensu morali et morum probitate, cum de aliis, quae pertinent ad sublimiorem Ethices partem, disputaret egregie, hunc quoque locum non omisit. Nisi forte me brevitati studentem multa fugiunt, haec est ejus sententia (3): Quicunque se interficiunt, dominium effugiunt legis moralis, quae propter hoc ipsum, nobis mandare non potest αὐτοχειρίαν. Haec vita continetur officiis, quae nobis sunt praestanda in hoc statu terrestri: ea autem, quae nobis praescribentur post

(1) Cf. *Metaph. Anfangsgründe der Tugendlehre.* Kreutznach 1800. p. 99 sq. Ejusdemque *Anthropologie.* Königsberg 1798. p. 214 sq.

(2) *Versuch einer Moralphilosophie.* 1790. 4 Ausg. 1802. II. S. 198 sq. Cf. STÄUDLIN l. l. p. 232.

(3) *Das System der Sittenlehre nach den Principien der Wissenschaftslehre.* Jena und Leipz. 1798. p. 354—363.

corporis dissolutionem, ignota sunt prorsus. Non modo is peccat, qui sibi mortem consciscit, sed etiam ille, qui *non existere* desiderat: hoc enim desiderium complectitur voluntatem non amplius laborandi ea ratione, qua labor tantum cogitari potest. Si ille, a quo sentimus nos pendere, arcet hominem a statione, finem quoque habet labor ei impositus a Domino, cujus nos quasi servi sumus.

Singularem sententiam ratam habuit sagax Platonis interpres Theologiaeque Christianae Doctor, SCHLEIERMACHER Vir. Cl. (1). Ex cujus opinione omnis de *αὐτοχειρίᾳ* quaestio praetermittenda est in *systemate doctrinae moralis*, ad quod nullum pertineat officium de sui ipsius conservatione. Nam Ethica certam quamdam vivendi rationem ad honesti normam instituendam praecipit, cui vita ipsa supponitur et sic omnis praeter moralem vitam conservandi modus tollitur prorsus. Accedit, quod, illo judice, nulla certa

(1) *Kritik der bisherigen Sittenlehre.* p. 464—274.

Quid vero SCHL. statuerit de *αὐτοχειρίᾳ*, dicere nequeo; videant alii et perpendant, quae leguntur in *monol.* V. «Wenn ich wüsste, «dass die freundliche Jugend nur entflöhe, wie die Zeiten entfliehen, «*ich stürzte mich lieber bald dem Tode freywillig entgegen*, damit «nicht die Furcht vor dem sicheren Uebel mir endlich doch durch ein «unfähiges Daseyn ein schlechteres Ende verdient.» (p. 107) et alibi: «Kommt sie (*die grosse Umwandlung*) so muss ich sie erkennen: und erkenne ich sie, so *wähle ich lieber den Tod, als in langem Elend anzuschauen an mir selbst der Menschheit nichtiges Wesen.*» p. 110). Cf. quoque *Zeitschrift für Moral* von C. F. BÖHME und G. C. MULLER. I B. I Heft. Jena 1819. p. 97: ubi judicium exstat de Sandtii istius morte voluntaria, qui interfecit virum ingeniosum A. Kotzebue.

vivendi ratio constitui aut definiri possit, aeri vita semper esset conservanda. Ipsius vitae et officii repugnantias plurimos scriptores recentiores de philosophia morali non perspectas aut explosas habuisse, efficere sibi visus est ex iis, quas Kantius, Fichtius, et jam ante Stoici et Spinoza de vita conservanda protulerunt, sententiis. — Sed fieri potest, ut auctoris opinionem non assequar, cum in plerisque desideretur perspicuitas.

Neque aliter, quod ad rem, statuisse videtur BAIRES (1) αὐτοχειρίαν referens ad ἀδιάφορα, quum factum aestimandum sit tantum ex principiis agendi s. causis, ex quibus proficiscatur. Hinc quaevis mors voluntaria, sive oppetatur patriae virtutisque gratia, sive quâvis de causa ad unum idemque genus referenda est: quodsi existeret praeceptum vetans αὐτοχειρίαν, id pertineret ad quamcunque mortem voluntariam. Rationis igitur est, de facti pretio judicare a priori, hunc in modum: magnum est pro patriâ mori; nobilis ille, qui vitam ponit, ut servet amicum aut alium hominem v. c. in morbis gravioribus et contagiis: qui sibi vitam eripiat vitae aut dolorum vehementiorum taedio, excusari debet; verum qui talem exitum animi magnitudinis esse putat, haud leviter errat.

Dr JULIUS FREDERICUS KNÜPPELN (2) haud infeliciter hunc Ethices locum perpurgavit libro, cui tabula quaedam αὐτοφονευτῶν adjecta est. Argumenta petun-

(1) *Handb. der Pract. Philos.* I. p. 352. Cf. BÖHME et MULLER, l. c. p. 116.

(2) *Ueber den Selbstmord, ein Buch für die Menschheit.* Gera 1790.

ter e ratione et religione Christiana, ex principiis politicis, ex historia et disciplina morali: liber abundat copiâ exemplorum.

Post hos alii multi fuerunt, qui argumenta dudum prolata repeterent, raro aliquid novi adderent: haud pauci, philosophis ratiociniis, illud facinus damnarunt: alii, philosophiam vulgo non sufficere rati, religionis Christianae addiderunt auctoritatem, obiter laudatis aliquot Sacrae Scripturae locis. Verum qui defenderent, pauci fuere: qui defensione hominibus sanae mentis persuaderet, nullus fuit. Nominandi sunt quoque viri doctissimi de morum disciplina optime meriti, Reinhard, Ammon, Tittman, Tzschirner, Ehrenberg, de Wette, Fischhaber, Baumgarten Crusius, Thiele von Thielenfeld, Ständlin, Krug et alii, quorum scriptis multa me debere lubens agnosco (1).

Nec defuerunt Psychologi, qui ita hoc argumentum tractarent, ut auxilium ferrent medicinae forensi: qua

(1) Dr. C. F. AMMON, *vollständ. Lehrb. der Christ. relig. Moral.* § 182 sq. Gött. 1806. F. EHRENBERG *der Pract. Lebensweisheit.* I B. p. 290 sq. FISCHHABER, Prof. zu Stuttgart *Zeitschrift für die Philosophie.* 2es Heft. p. 230 sq. J. A. THIELEN VON THIELENFELD, *Gründe für und wider den Selbstmord.* Leipz. 1817. TZSCHIRNER *Leben und Ende merkwürdiger Selbstmörder.* Weiss. 1805. Dr. C. CHR. TITTMAN *Christl. Moral.* § 152, § 86. Leipz. 1794. Dr. L. F. O. BAUMGARTEN CRUSIUS, *Lehrb. der Christl. Sittenlehre.* p. 285. Leipz. 1826. Dr. W. M. LEBERECHT DE WETTE, *Christl. Sittenlehre.* III Theil. Berlin 1823. p. 303. Dr. J. A. FRANGOLM, *die Mosaische Sittenlehre* etc. Breslau 1831. p. 69 et 168 sq. W. TR. KRUG, *System der Pract. Phil.* II. p. 202. Königsb. 1818. Dr. JOHAN WILHELM SCHMIDS, *Theol. Moral.* Francf. und Leips. 1794. § 279 sq. addi potest M. SAILER *von Selbstm.* München 1783.

in disquisitione imprimis laudandus est OSIANDER (1), cujus scriptio abundat exemplis varii generis. Neque praetermittere omnino possum, quod docuit acutissimus HEGEL; hic ex iis, quae jam ante proposuerat et explanaverat, concludit: «quamvis largiamur vitam corpusque nostrum nobis esse in potestate, illam tamen vitam contendimus tamquam πλήρωμα existentiae nostrae personalis pertinere ad ea bona, quae alienare non possimus, ad quae mutanda, donanda et perdenda jus nullum nobis competat. Homo tum demum, si serviat ideae cuidam morali aut religiosae, cui, urgente necessitate, existentiam personalem tribuere ex officio tenetur, vitam tradat necesse est: (idem est, quod nos dicimus in gratiam virtutis cultusve divini vitam abjicere) imo ne hac quidem opportunitate licet nosmetipsos interimere, verum constanter ac fortiter illud exspectare debemus, cui vitam (2) tradamus officii virtutisque causâ.

Satis est, quod diximus de Germanis. Veniamus ad

(1) F. B. OSIANDER, *über den Selbstmord* etc. Hannov. 1813. F. W. V. SCHULTZ *der natürliche Selbstmord*. Berl. 1815. Ad idem genus referendi sunt:

GRÜNER *de Suicidio in foro non semper culposo*. Jena 1792. Ejusdem *comm. de imputatione suicidii dubia*. Jena 1798. KRÜGELSTEIN, *Promptuarium medicinae forensis*. I Th. Erfurt 1822. art. αὐτοχειρία. MECKEL, *Lehrbuch der gerichtlichen Medicin*. Halle 1821. S. 313 sq. HEYFELDER *der Selbstmord in Arzney-gerichtlicher und in Medicinisch-polizeilicher Beziehung*. Berl. 1828. Cf. Hallische Literaturzeitung 1829. n°. 80; Jenaïsche Allg. Literaturz. 1830. n°. 40.

(2) HEGEL, *Grundlinien der Philosophie des Rechts*. Berl. 1821. p. 75.

nostrates, quorum mentio in libris supra laudatis aut nulla aut perexigua facta est: quare existimavi, me rem minime ingratam facturum, si horum, quoad ejus fieri possit, opiniones fusius enarrem.

§ 5. *Apud Batavos.*

Mirum nemini accidat, de hac Ethices parte fere nihil linguâ vernaculâ esse scriptum. Nam Batavorum indoles eorumque pietas superioribus temporibus effecerunt, ut perrara esset mors voluntaria. Fuerunt certe, qui se interficerent, sed admodum pauci: qui αὐτοχειρίαν laudaret, nullus umquam fuit. Atqui ex quo magis familiare cum aliis gentibus commercium invaluit, nostratium mores ab illarum pravitate, quod omnes boni dolemus, non omnino puri manserunt. Levitas praesertim Gallofrancorum per nimis longum eheu! temporis spatium patriam nostram vi et dolo occupantium et vexantium; tum seculi, quo vivimus ingenium atque indoles sinceram ridens pietatem paulatim multorum animos a pristina morum castitate intimoque, quo Batavi inter omnes eminere solent, religionis amore et praxi pedetentim avocarunt. Hinc prima mali labes; hinc serpere coepit et gliscere apud nostros homines ista quoque, olim incognita fere, peccandi ratio, de qua nobis hic sermo est. Nam non solent istiusmodi facinora in animis religiosis gigni, nec omne scelus, ut recte Cicero (1)

(1) *Pro Sext. Rosc.* c. 27.

monet, in omni vita nascitur, quemadmodum non omnis ager quibusvis arboribus aut frugibus idoneus est. Jam ubi luxuries et avaritia et audacia in locum parsimoniae, industriae et justitiae majoribus probatae succedere coeperunt, fieri vix potuit, quin et illud peccatum naturae contrarium nostro tempore nostraque in patria a nonnullis sin minus tamquam exitus vitae honestus laudaretur, saltem excusaretur. Unde mirari me subit nonnullorum incogitantiam, qui causam hujus facinoris in corporis quadam dispositione solam quaerendam esse putant: qua opinione quid moralitatem magis evertat, nemo est, quin, me non monente, videat ipse. Verum ad historiam redeamus. Justus Lipsius (1), Lugdun.-Batavae brevi tempore, postea vero Lovaniensis Academiae lumen, vir egregius, hic nobis citandus est. Pleraque alia Stoicorum decreta laudavit, sed notum illud de αὐτοχειρίᾳ placitum rejecit, studioseque id egit, ut, aliorum philosophorum ac veterum scriptorum expositis sententiis, ignaviae, saevitiae, injustitiae ac stultitiae coargueret sui interfectores. Ipsos quoque Stoicos in hoc decreto sibi non satis constitisse, ex omni illorum philosophandi ratione ostendit et quasi digito monstrat, tandemque concludendo efficit, mortem non esse arbitrii nostri, neque severos Stoicos ab hac parte audiendos aut laudandos esse.

(1) *Manud. ad Phil. Stoic.* III. 23 sq. (Oper. IV. p. 814) de eadem quaestione legantur Buddeus de Error. Stoic. p. 194. et Joh. Gust. Gul. Hesse, *Comm. de Relig. Christ. Phil. Stoic. nec nutrula nec patrona.* § 37. (Huntinghe, *Syll. Opusc.* I. p. 157).

Hugo GROTIUS (1), monens omnes omnino populos, sicut ab omni morte abhorreant, quam maxime quoque ab αὐτοχειρίᾳ abhorrere, eandem sententiam tuitus est; simulque significat idem vir praeclarus, ab Hebraeis et Graecis adeo mortem appellatam esse *dimissionem*, ut indicaretur, Deum nos dimittere, liberare ex hac vita. Hujus frater GUILIELMUS (2) argumenta jamdudum ab Augustino prolata denuo exposuit, e quibus hanc sententiam deduxit; qui mortem sibi ipse consciscat, eum corpus non solum sed et animam perdere, gravius igitur peccare quam homicidam, quippe qui sibi praeripiat, quod soli competat Deo.

Accedamus jam ad Cartesii aequalem, GISB. VOETIUM Theol. in Acad. Ultraj. Professorem, in cujus dissertatione mors voluntaria de industria impugnatur (3). Est illa bipartita; primum, *praecognita quaedam praemittuntur*: deinde *controversiae explicantur*. — Prima igitur pars continet facinoris descriptionem, causarum indagationem et remediorum explicationem. — Causae recensentur *externae* et *internae*: ad illas pertinent quoque Diaboli suggestiones: hae referuntur ad tres potissimum classes, *falsam persuasionem*, *vanam et stolidam ambitionem*, et *affectus metus ac doloris*. Causis hisce uberius explicitis variisque exemplis illustratis, describitur ipsa αὐτοχειρία, distinguenda in *late materialem* sui ipsius laesionem aut

(1) *De jure belli et pac.* 2. 19. 5. 1—5.

(2) *De Princip. jur. nat.* 7. 2.

(3) *De homicidio et laesione sui ipsius*, diss. inserta Opusc. IV. p. 244—291.

mutilationem aut homicidium et in homicidium vel sui ipsius laesionem *formalem* et proprie sic dictam: quae divisio rursus innumeras fere partitiones complectitur, quas recensere longum foret. — Praetermittenda tamen non est, quam numero 4° posuit, *αὐτοθονία interpretativa*, «cum quis *non* quidem ex «directa intentione sibi mortem infert; ea tamen in«debite aut absque rationabili causâ facit, per quae «mors ejus acceleretur. Fit autem illud vel omittendo «vel committendo.» — Ad priores referendi sunt, qui vitam defendere recusant «sive id fiat ignaviâ, sive «errore et *praetextu religionis* (ut Judaei I Macc. «II: 38 et *Anabaptistae* et qui illos sequuntur).» Ad posteriores omnia ea, quae mortem promovent, «intemperantia, temeritas, scansio, natatio, urinatio «temeraria, saltatio in funibus et quae sunt hujus «generis.» — Quod ad remedia, sunt partim *prophylactica*, partim *antidota*, illa iterum vel *privata* vel *publica:* haec, ut constat, plurima, pro temporis ratione diversa. — Hac opportunitate Calvini et Bezae doctrinam defendit contra Balduinum, qui metum *reprobationis αὐτοχειρίας* causis annumerandum esse confirmaverat «exemplo ludimagistri cujusdam a° 1562, «qui seipsum interemerat relicto Chirographo: *se ab «aeterno reprobatum et ex numero salvandorum «exclusum esse*,» provocat Voetius ad libellum a se editum. «Nos,» inquit, «ante annos aliquot (1627) «contra Judae laqueum ab acerrimo Tileno et Re«monstrantibus doctrinae Synodi Dordracenae objec«tum, antidotarium vernacula lingua instruximus. Et

«tendit quotidiana praxis nostrorum circa languentes «aut perturbatas ejusmodi conscientias, solidam con-«solationem, non obstante doctrina nostra, immo et vi «ejusdem abunde subministrari posse. Sed adversarii «nostri praxim dextre et opportune eam applicandi «*ignorant*, aut pervertunt.»

Altera pars versatur in perstringendis controversiis, quae vel *principales seu magis celebres* dicuntur, vel minus *principales:* illae tres, una *generalis*, duae *speciales seu hypotheticae.*

Generalis est, an αὐτοφονία aliqua sit licita. Negatur argumentis petitis ex Gen. IX: 5, 7. et 6° Decalogi praecepto (nobis Lutheranis 5°), ex Ephes. V: 29. deinde ex peccati gravitate, quippe migrationis legum justitiae, abnegationis fiduciae Deo habendae: accedunt facti stultitia, pusillanimitas, et sapientium consensus.

Altera controversia ponitur, non tam *thetica* quam *hypothetica: An liceat navem propriam atque adeo seipsum incenso pulvere pyrio tollere.* — Negatur, quia tale factum nautarum est *αὐτοχειρία*; quia repugnat fiduciae in Dei providentiam, prudentiae Christianae, fortitudini heroicae et militari, caritati et clementiae in proximum. Citantur exempla, proponitur antiquorum et Judaeorum et Christianorum a tali facinore aliena agendi ratio, denique consensus Theologorum affertur. Absolutis controversiis *principalibus, problemata* aliquot exhibentur:

1. *An omnes αὐτοφόνοι, nemine excepto, simpliciter sint damnati.* Negatur, quia non peccarunt contra Spiritum S.! —

2. *An si magistratus capitali sententiâ in nocentem latâ, mandet ipsi executionem, parendum sit?* — Negatur, nam contra rationes supra adductas ut et contra ullum Dei praeceptum nullam facit exceptionem mandatum et potestas magistratus; ut videre est Act. IV: 19 et V: 29.
3. *An αὐτοφονίας directae aut indirectae damnari possint pii et fideles illi, qui parentes, uxores, propinquos, cognatos, amicos peste laborantes, occasione et necessitate ita ferente, invisunt, et tum in spiritualibus tum in temporalibus auxilium ac ministerium iisdem praestant; atque inde peste correpti moriuntur?* Respondetur, eos non magis esse αὐτοφόνους, quam sunt fortes ac pii sive cives sive milites, qui periculo, necessitate ita flagrante, se exponunt, in quo pereunt.
4. *An tempore pestis fugere liceat?* Negatur officii aut humanitatis causâ: conceditur iis, qui aliorum saluti prodesse non possunt.

Sequuntur *appendices;* prima de hac ipsa quaestione, quam modo diximus; altera de *propriae navis incendio.* Non dubitat auctor, quin talis actio repugnet religioni Christianae, sed illam excusandam esse putat, ut ipsi martyres excusantur, non tamen laudibus prosequendam.

Hoc dissertationis argumentum quamquam ad summae brevitatem contractum, ita tamen proposuimus, ut conclusionum ratio et materia appareret. Valde miror nonnullorum conatus, qui hodieque Ecclesiae Refor-

matae gloriam se defendere putant, si modo acriter invehant in claram mortem patriae causâ oppetitam, eosque damnandos judicent, quos vulgaris opinio laudare non dubitat. — Legant illi VORTII dissertationis appendicem alteram et videant ipsi, quid sit statuendum (1).

BENEDICTUS SPINOZA (2), acutissimus philosophus, quamquam a plerisque despectus, ex iis, quae in philosophandi ratione exposuerat, jure quodam concludit, eum, qui vitam sibi adimat, sui compotem non esse, sed vinci potentia aliquâ naturae nostrae contrariâ. Nemo est enim, ut ipse fere philosophatur, qui ex internâ necessitate naturae ipsius se occidat, verum *αὐτοχειρία* oritur semper ex causis externis, quae hominem regunt. Is igitur, qui mortem sibi consciscit, jam antequam id fecerit, suam deposuit naturam aliamque induit suae contrariam: nam homo

(1) Cum nostrum non sit vel excusare vel perstringere ineptias, silentio praetereundus est libellus nuperrime editus: *De opoffering van* VAN SPELIJK *aan den Bijbel getoetst* enz. door Z. H. VAN DER VEEN, Med. Doctor. (Amst. 1833). Cujus scriptionis auctor rogare videtur:

«Qua *me* stultitia (quoniam non est genus unum)»
«Insanire putas? Ego nam videor *mihi* sanus.»
(*Hor. Sat.* II. 3. v°. 301).

(2) *Eth.* IV. 18 et 20. — De hoc viro ingenioso, quem haud pauci rodunt, vellicant ac maledico dente carpunt, legantur, quae scripsit vir nobiliss. H. Baron. COLLOT D'ESCURY (Holl. Roem in K. en Wetensch. V. p. 261 sq. a°. 1832). Sic optime probatur Ciceronis effatum, «*Judices, qui multis post seculis judicabunt, et sine* «*amore et sine cupiditate et rursus sine odio, et sine invidia ju-* «*dicabunt.*»

ex suâ ipsius naturâ non magis cogitur, ut faciat, quo existentiae finis imponatur, quam ex nihilo oriri aliquid potest.

Ita ille; et videt unusquisque, me non monente, haec ejus dicta rectae rationi humanaeque naturae congruere, quae a nulla re magis abhorret quam a morte: est enim aliquid in eo praestantiae, quod homines desiderium sentiunt semper existendi, quod qui virtutis amore flagrant, vitam suam quam diutissime conservari cupiunt, neque se rebus externis ad optandam vel occupandam mortem abripi patiuntur. Sed si minus recte sententiam hujus philosophi perceperimi, excusationem paratam mihi habere videor in ejus verborum obscuritate.

Omnes, qui jus naturae atque gentium exponentes iisdem fere rationibus αὐτοχειρίαν damnarunt, recensere longum foret: itaque sufficiat PESTELII nomen, cujus sententiam adjicere admodum placet (1). Jam enumeratis argumentis solitis addidit: «is, qui se ipsum interficit, aut *negat* animum corpori suo mortuo «superstitem fore, aut affirmat. Si negat, quo argumento evincet, *fieri non posse*, ut animus a corpore suo seclusus existere pergat? Si non dubitat, «quin animus, corpore suo in cineres redacto, sit «exstiturus; quae ipsi semet ante diem interimenti spes «melioris post obitum sortis superest? si sibi persuadeat, se totum non interiturum, nisi singulari beneficio Divino: quid est, cur speret, Deum fore hujus

(1) Cf. FRED. GUIL. PESTELII *fund. Jurispr. natur.* ed. 5a. p. I. p. 82 sq. (1806).

«veti sui, quod cum naturae ordine pugnat, *effeo-*
«*tarum*, ut totus pereat? Sin existimat, animum suum
«fore corpori dissoluto superstitem, quid est, cur
«speret, Deum fore caedis vetitae indubitatum et mu-
«nificentissimum remuneratorem? — Maneat itaque
«hoc, homini potestatem moriendi, cum velit, et
«quomodo velit, summum Numen non fecit, sed
«portam ad novum vitae melioris stadium per mortem
«naturalem aperuit, eam vero effringere hominis ar-
«bitrio haud permisit.»

Eandem sententiam ex jure naturae ductam deinde susceptit atque auxit JOH. ADRIANUS VAN DE PERRE (1) dissertatione in Academia Lugd.-Bat. defensa, cujus prima pars in eo est posita, ut *hujus delicti atrocitas* ostendatur simulque efficiatur, illum, qui sibi vitam adimat, *violare leges divinas et humanas, reumque postulari coram tribunali juris divini, naturae atque gentium:* deinde describuntur, *quae de hoc facinore plerique populi statuerint:* denique exhibentur *remedia, quibus patriae leges huic insaniae occurrere voluerunt.*

Neque praetereundus est locus de eodem argumento memoratu dignus, qui exstat in alia dissertatione inaugurali, in eadem Academia, a°. 1770 privatim defensa a Juris Candidato JOANNE SURENDONK VAN HOEY Haga-Batavo (2). Hic scriptor, post quaedam *Praemonenda*, de juris naturalis origine, definitione,

(1) *De homicidio sui ipsius.* a°. 1757. de auctore videatur cl. VAN DER PALM, *Lefrede* p. 272. tom. I. *redev., verhand. en lezse geschriften.*

(2) *Specimen Acad. inaug. quaedam juris naturalis capita con-*

consilio, discrimine ab Ethicâ, mox jactis fundamentis superstruit doctrinam *de moderamine inculpatae tutelae; — de αὐτοχειρίᾳ; — de origine seu fundamento patriae potestatis.* Singulis hisce argumentis privum et proprium caput tribuit. Quod vero ad *αὐτοχειρίαν* attinet, quam exponit c. III. p. 24—41, *primum* id agit, ut doceat, quoniam quodcunque nostram felicitatem promoveat sine aliorum laesione, id jure Naturae permissum sit (quam thesin fundamenti loco ponit), consequi, ut haec mors voluntaria liceat, cum societati prodesse non amplius possimus aut cum majus ei bonum morte quam vita nostrâ afferamus. Quam unam argumentationem sufficere vir doctus existimat, repudiatis omnino aliis, quae refutatum iverat FORMEYUS (1); nec tamen prorsus repudiato MONTESQUIEUII argumento, nisi quod sibi displicere significet, illustrem auctorem verbis, *Pourquoi voulez-vous que je garde une convention*, addidisse: *qui s'est faite sans moi? Deinde* respondet argumentis in contrariam sententiam, a viris doctis *Pufendorfio*, *Formeyo*, aliisque, (ex quibus *Toussaintium* quippe cujus libellus, *les Moeurs* inscriptus, aureum sit Enchiridion, verae sapientiae amantibus commendandum, nominatim citat) in medium allatis. *Desinit* in leviter commemorandis *eum* veterum gentium ac populorum de hac criminis formâ statutis: ubi memorantur Indorum

---

tinens. Lugd.-Bat. 1770. cujus dissertationis relationem V. Cl. J. Clarisse pro sua humanitate mecum communicavit.

(1) FORMEY *Disc. sur le meurtre de soi même.* (*Melang. Philos.* Tom. I) et MONTESQ. l. l.

sapientes sive Bramini, porro Graeci (nominatim Athenienses, Thebani, Massilienses;), Judaei quoque, Americanae gentes, denique Romani; quibus omnibus et nostrates adjunguntur: — *tum Philosophorum* decretis, ubi brevi de Pythagoricis, Academicis, Peripateticis, de Epicureis, denique de Stoicis, in his de Zenone, Cleanthe, pluribus vero de Epicteto (sive Arriano potius) et Seneca agit, quibus adjungit Montaignium: — *tum* vero *Oratorum* atque *Poetarum* egregie dictis, et quidem Ciceronis (*Somn. Scip.* c. III, *Tusc.* I: 30), Virgilii (*Aen.* VI: 434), Senecae (*Thebaid. Act.* I: 190), Martialis (L. XI. *Epigr.* 57 et II: 80, sed quod huc pertinere negat), tum etiam ornatissimae Halleriae (Mad. Des Houlières), et qui ab altera parte stare deprehendantur, Sophoclis (*in Ajace flag.*), Lucretii (*de Rer. nat.* III: 872), Lucani (*Phars.* L. III: 241 et IV: 478.) Mirum non est, si, quod fando accepimus, eo, quo in lucem edebatur, tempore dissertatio haud paucis valde displicuit. Ante hos fere tres annos alia dissertatio de eodem argumento conscripta est a Jurisc. J. O. WYNMALEN (1); exhibetur c. I, *quid inter gentiles et hodie hac de re senserint philosophi, addita definitione vocis autocheiriae ejusque etymologia:* c. II, *quae praestantissimorum et antiquorum et recentiorum legibus, moribusque contra autocheiriam statuta sint:* c. III, *an inprimis Reipublicae com-*

(1) *Diss. jurid. inaug. de* AUTOCHEIRIA. Lugd. Bat. 1830. et nuperrime de eadem quaestione in Rheno-Traj. Acad. defensa est dissertatiuncula, auctore G. J. FABIO. Amst. 1830.

petat jus voluntariam mortem poenis prohibendi. Cap. IV. *Quaestionem exponit; an in universum poenae a Rep. constitutae ad coërcendam moriendi libidinem, idoneae haberi possint.* Quae omnia, ut mihi videtur, perquam breviter tractata sunt. Jam antea medicus eruditus, D. J. A. ARNTZENIUS (1), de αὐτοχειρίᾳ disputaverat, eam ut morbum considerans: ad hunc usque diem prodiit tantum prima dissertationis pars, duo complectens capita, in quibus agitur «*de αὐτοχειρίας naturâ atque causis physicis*;» ad has pertinent laesiones organicae in capite, thorace et abdomine cadaverum inventae et a scriptore diligenter collectae. Altera autem pars continebit cap. III: «*historias et autopsias suicidarum selectas*, «et denique cap. IV *auctorum differentes opiniones* «*de primaria vel secundaria psychica vel corporea* «*et variorum organorum affectione in alienatione* «*mentali generatim et suicidio speciatim expositas*, «*et relatis observationibus illustratas.*»

Non credo alios fuisse apud nostrates, qui hanc quaestionem de industriâ tractarent (2), nisi forte huc aut illuc dispersae sint dissertationes mihi ignotae. Patrio quidem sermone nihil de hac materiâ memoratu

---

(1) *Diss. medica inaug. de* SUICIDIO, *observationibus anatomico-pathologicis illustrato.* Traj. ad Rhen. 1828. — Jam simili modo eandem rem tractatam vidimus in libro: *De inwendige razernij of drift tot zelfmoord als eene wezenlijke ziekte beschouwd* enz., door L. AVENBRUGGER, uit het Hoogd. door LAMBERTUS HOLST. 1788.

(2) Nam huc non pertinet praestantissimi H. STUART oratio: *over den zelfmoord der ouden.* (nag. verh. II° dl.)

dignum, quantum scio, in lucem editum est ante hujus seculi quartum lustrum. Anno autem 1817 prodierunt tres orationes viri plurimum reverendi J. W. STATIUS MULLER (1), quas legitimi aestimatores cum scienter et perite, tum breviter et pereleganter scriptas esse magno consensu judicarunt. Prima exhibet *historiam αὐτοχειρίας causarumque, e quibus manet, subtilem indagationem.* In altera exponitur, *quid de facinoris moralitate statuendum sit, refelluntur defensores, probantur oppugnatores, allatis eorum argumentis, quae ratione nituntur.* Tertia denique *praesidia suppeditat ac commendat, quibus illa lues humani generis imminuatur, enervetur, et si fieri possit, plane aboleatur.*

Itaque ad finem perduxi dissertationem de *αὐτοχειρίᾳ*: solvi nomen, quod in prooëmio contraxeram, ac disquisitioni sententias adjeci eorum, qui de facinore isto opiniones suas palam pronuntiarunt. Vereor quidem, ut omnibus qualiscunque haec scriptio satisfacere possit, at mihi conscius sum, tantum me industriae in ea collocasse, quantum per vires et facultatem licuit. Vos B. B. L. L. velim, hoc specimen aequi bonique consulatis, et, si qua fortasse minus recte

---

(1) *Drie verhandelingen over den selfmoord*, uitgesproken in de maatschappij, *Felix Meritis*, Amst. 1817.

se habere vobis videantur, aut ulteriore inquisitione indigere, cogitetis, quae est humanitas vestra, scriptorem juvenem esse, plura doceri cupientem, meliora quoque, si edoceatur, admittere paratum.

Quodsi forte sint, quibus mirum videatur, me omisisse medicinam, quae ad sanandum illum morbum valeat: teneant illi causam hujus omissionis non esse positam in mea negligentia, sed in ipsius medicinae egestate. Nam est hoc delictum ejus generis, ut, qui commiserit, consiliis aut admonitionibus non possit amplius in meliorem opinionem duci; qui non commiserit, raro de delicti gravitate cogitet vel etiam existimet, fieri non posse, ut ipse aliquando in tantum facinus incidat. Illis quidem haud paucis, qui melancholico morbo in angores immersi tristem exitum meditantur, a Medicis petendum est auxilium, ut qui saepenumero ex tetrico vultu aut aliis indiciis, quid sit futurum, ominari possint. Difficilior est quaestio, an poenis in αὐτοφονευτὰς decernendis a tali facinore alios absterrere liceat, ne pravum exemplum sequantur. Curent id scilicet Jurisconsulti, sed ita curent, ut saluti publicae consulentes privatorum infelicium rationem habeant. Ne igitur, ut ante factum est, prohibeantur liberi legitimique heredes, quominus adeant hereditatem: nam iniquum est, qui non peccarunt, punire. Quodsi necessarium judicatur ad domandam αὐτοχειρίας frequentiam leges ferre et notam quamdam ignominiae inurere sui interfectoribus, ita, meo arbitratu, id fieri debet, ut congruat cum naturae humanae indole ac praestantia. Notentur

v. c. eorum nomina in indicibus publicis; negetur iis, quoad ejus fieri potest, sepultura in solitis coemeteriis, et quae sunt hujus generis plura. Talia enim, historia teste, non omni vi caruerunt ad coercendum tristissimum illum furorem: sed videant rerum peritiores.

Quod ad cives Reipublicae Christianae attinet, hi si medicinam ex fontibus religionis requirant, ad ipsos ablegandi sunt. Optandum igitur est idemque communibus bonorum conatibus ac studiis affectandum, ut vera pietas omnium animos occupet, praesertim juvenum; ut parentes liberos a teneris ad verbum Divinum ducant, purissimum omnis sapientiae fontem; ut animi juveniles a prima aetate percipiant rectam cogitandi et agendi, vivendi ac moriendi rationem; ut imbuantur quinimo perfundantur cogitatione providentiae Dei paternae omnia ac singula quaeque complexae: ut discant penitusque imbibant, solius Dei esse jus vitae ac necis, hunc esse Judicem vitae in his terris peractae, benignissimum remuneratorem eorum, qui Ipsi vivere maluerunt quam sibi, nec posse per hunc vitae cursum quidquam mortalibus accidere, quod non valeat ad educationem filiorum Dei praeparationemque vitae coelestis per Christum consequendae. Haec et quae sunt similia, ubi tempestive inculcata animisque infixa haerent, vix fieri posse confido, ut vel gravissima solicitatio ad αὐτοχειρίαν vim victricem exerceat. Ceterum amoris Christiani est, ut omnia evitemus, quae aliorum salutem perturbare adeoque causam alicui afferre possint ne-

fundae mortis voluntariae. Nam voluit sanctissimus Dominus omnes sectatores ita contineri uno fraternae caritatis vinculo, ut, qui hanc familiam divinam deserere lubens velit, nemo umquam sit exstiturus. Postremo memoria nobis revocanda est dicti Jacobei: *ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν.*